ANALYSIS
LOGICA IN EPISTO-
LAM AD HEBRÆOS.

AVTHORE D. ROBERTO ROL-
loco Scoto, Ministro Iesu Christi, &
Rectore Academiæ Edinburgensis.

Accessit breuis & vtilis tractatus de
Iustificatione eodem Authore.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS
Charteris Typographus Regis.
An. Dom. M D C V.
CVM PRIVILEGIO REGIO.

EXIMIO VIRO ET AMICO SVO SVMME DILIGENDO ET OBSERVANDO GVLIELMO SCOTO *AB E*lie, HENRICVS CHARTERIS S. & G. per Christum.

QVANTI interſit iuuentutem cum humanioribus ſtudijs & politiori literatora vna etiam imbibere eminentiã illam cognitionis Chriſti, tũ optimè noſti, Vir eximie, qui ſæpiuſculè ſolitus es prædicare ſordere omnia iſta humana, humanam prudentiam, induſtriam, eruditionem, artes etiam ipſas & ſcientias, imò noxia eſſe & exitioſa, ſi à cognitione Chriſti ſeparentur. Quo mihi videntur fęliciores, & non Deo tantùm, ſed & Præceptoribus magis obligati, qui ab ijs, vt cum Apoſtolo loquar, didicerunt Chriſtum. Profeſſus eſt iam olim Alexander magnus ſe Ariſtotelì, à quo puer formatus eſt, non

minus quam patri Philippo debere, cùm ab hoc quidem viuendi, ab illo verò recte viuendi accepiſſet initium. Tantam ille gratiam retulit præceptori ſuo, qui communibus naturę noſtrę tenebris inuolutus veram recte viuendi rationem, nec ipſe tenuit, nec alios docere potuit. Quanto maior referenda eſt gratia ijs Præceptoribus, qui ad genuinum recte viuendi fontem Adoleſcentes reuocant, & ex verbo Dei informant in vera pietate & fide in Chriſtũ. Quo ſpectaſſe omnes beatæ memoriæ D. Rolloci labores ignorat nemo cui ipſe notus fuit. Atque in hunc finem præter alios Scripturæ libros quos ſubinde diſcipulis ſuis prælegit, Epiſtolas Pauli ad Rom. & ad Galatas, in quibus plenius & clarius quam in alia quauis totius Scripturæ parte myſterium Chriſti reuelatur, accuratiſſime explicauit. His poſtremò adiecit Epiſtolam ad Hebræos (quæ eò tota tendit vt nos ad perſeuerantiam & conſtantem profeſſionem fidei in Chriſtum adhortetur) eamq; hac, quę nunc in lucem prodit, Analyſi Logica illuſtrauit, qua mihi quidem videtur ita

ad

ad viuum Scriptoris mentem vbiq; expressisse, vt & a rudioribus parvo negotio intelligi possit, & peritioribus fontes aperiat ex quibus vberes cœlestis doctrinæ riuos commodè possint diducere. Non sum nescius esse nõnullos qui hanc Scripturæ interpretandæ rationem improbent, quòd Spiritum sanctum in Scripturis loquentem ad artis Logicæ præceptiones alligare videatur. Atqui nos nullas sacrosanctæ Scripturæ ab arte vel scientia quacunque humana leges imponi, aut debere, aut posse arbitramur, sed Logicam duntaxat hac interpretandi ratione Scripturæ ancillam pedisequamq; esse ostendimus. Cum enim Theologiam omnium disciplinarum Dominam & moderatricem esse omnes iure agnoscamus, Logicæ famulitium cur ei denegemus? quamq; ea opem ad profana hominum scripta intelligenda confert, cur non eandem ad Prophetarum & Apostolorum scripta suppeditaret? Hanc certe Analysin Logicam in nonnullis Pauli Epistolis iam ante à Rollocofeliciter tentatam plus lucis attulisse quam plerorum-

que prolixas commentationes, facile iudicare possunt omnes, qui eam penitius introspexerunt & examinarunt: ex quibus multi sæpius professi sunt se non mediocrem fructum ex hoc scriptionis genere percepisse eoque hortatores Rolloco fuerunt vt ad reliquas, quas adhuc nondum attigisset, Epistolas simili Analysi illustrandas manum admoueret: quod ab eo proculdubiò præstitum fuisset si Deus longioris ei vitæ vsuram concessisset. Ex horum numero facilè primum fuisse te, Vir eximie, nôrunt omnes quibus notum est quam arcto amicitiæ vinculo D. Rolloco coniunctus fueris, quantaque eum semper prosequutus sis beneuolentia. Quo solo nomine, si alia nulla subesset occasio, deberi tibi hoc opusculum nemo ibit inficias: sed alia longe maior & grauior accedit causa, Authoris ipsius suprema voluntas Testamento consignata, qua quicquid supererat operum ipsius sub tuo nomine exire voluit, & solennia hæc dedicationis verba præ se ferre, GVLIELMO SCOTO IN PERPETVVM TESTIMONIVM AMICITIAE

CITIAE NOSTRAE DEDICO CONSECROQVE. Accipe igitur hoc grati animi testimonium qualecunque Analysin Logicam in Epistolam ad Hebræos, simulque breuem tractatum de Iustificatione, quem ideò placuit cùm hac Analysi coniungere, quòd & propter breuitatem seorsim excudi non poterat, & ad quæstionem de Iustificatione hominis coram Deo determinandam doctrina de Christi sacerdotio, quæ in hac ad Hebræos Epistola accuratissime tractatur, singularem vsum habeat, cum illa ipsa oblatio & sacrificium quod Sacerdos Christus Patri ad expianda peccata nostra in cruce obtulit, sit vnica illa iustitia quam nobis Deus imputat, & propter quam nos è tribunali suo iustos esse pronunciat. Hanc autem Analysin cùm D. Rollocus, immatura morte præreptus, absoluere non posset, ne manca in lucem ederetur, eoque Ecclesiæ vsui (cui secundum Dei gloriam omnes suos labores vnice semper consecrauerat) minus inseruiret, hanc mihi prouinciam delegauit vt ei supremam manum imponerem.

Quod onus, etsi (tenuitatis meæ mihi probe conscius) agnoscebam humeris meis impar esse, malui tamen in me suscipere, quam in animi ingrati suspitionem apud eum incurrere cui me omnium officiorum ratione obstrictum sentiebam. Dedi igitur operam vt in tribus postremis capitibus (exceptis sex primis versibus capitis vndecimi) ad eam quę Rolloco familiaris fuit, Analyseos formam quam fieri potuit proxime accederem. Quod si hic meus labor rerum diuinarum studiosis aliquam afferet vtilitatem, & tuo iudicio probabitur, satis amplum operę pretium me retulisse putabo. Vale in Domino. Idibus Aprilis. 1605.

mentaria HEN. CHARTE-
rij recenſione aucta.

VEndibili (vetus eſt verbum) ſuſpendere vino,
Non opus eſt hederam; proba merx præcone re-
Emptorē inueniet: quæ cedro digna loquutus (moto
Entheus aſſiduo verbi limatus in vſu
Rollocus, Charitum flos, noſtræ & gloria gentis,
Victuris vel quæ illeuit monumenta libellis
(Perpetuum quibus eſt mihi fas ſperare virorem)
Arte ſua auctorem inſignem ſatis edita laudant,
Sint licet indicta, ingenio aut detrita minore.
Namque parem meritis tribuat ſi Gratia honorē,
Si ſtudium, aut virtus, dignâ mercede beari
Promereant, aurata foro tibi ſtaret imago,
Et caput auricomum, (fors quæ tibi debita) laurus
Cingeret, ornâris qui publica commoda vnus
Ante alios, quantum ſtellas fulgore minores
Cynthia præradiat, (rumpantur vt ilia Codris)
Quâ ſcriptis, quâ voce, Deûm quòque redditus albo
Surpuit vt mors ſæua orbi, cœloque locauit,
Alternis patriæ faculam tranſmittis alumnis,
Poſtuma inexhauſta manſura & pignera mentis.
Quæ licet imperfecta tibi ſunt morte reuulſa
Supremam nec paſſa manum, laudatur in illâ
Dimidiam tabulâ Venerem quâ pinxit Apelles
Extra omnes; & habent ſi quid præſagia veri,
Vt quondā Hippolytum ſuperas reuocauit ad auras
Diſcerptum, incolumemque ſuis Epidaurius Heros
Reſtituit, mancis Charteri ita dextera chartis
Pacuias porrexit opes, vacuaſque lacunas,

Ne qua lacuna foret cerâ compleuit eâdem.
Sic memor officij veteris, veterisque magistri,
Lampada qui extremâ moriens sibi tradidit horâ
Esset Apollinei deînde vt Pars maxima cœtûs,
Magnam opere in tanto & partē memoratus habe-
Nec dubium parili fuerint si analecta labore (ret.
Quæ iam sparsa situ sordent carieque sepulta
Fœlici purgata manu, quin viuet vterque
Æternum, vt meritus, chartis immortuus, æuum.

GVLIELMO SCOTO ROL-
loceorum scriptorum assertori.

TVis auspicijs, Amice magne,
Qui mancus, mutilus, lacer, jacebat,
Orbatus citiùs suo parente
Quàm lucem aspiceret liber misellus,
Nunc sartus, nitidus, venustulusque,
Succo & Nectare, per Librariorum
Prostat scrinia, tectus, integellus:
Sic vt nec sycophantias malorum
Omneis vnius æstimet vel assis.
Absque te foret hic liber disertus
(Certum μνημόσυνον tui sodalis,
Qui solatiolum fuit Sophorum,
Non horum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac alijs erunt in annis)
Depastus tineis malas tenebras
Indignè incoleret tenebricosus.
Perge vindicias tui clientis
Sic postliminio parare Chartis,
Famæ vt vindicias tibi clienti
Laus postliminio parare pergat.

Io. Rayus.

ARGVMEN-
TVM EPISTOLÆ AD
HEBRÆOS.

IN hac epistola ad Hebræos, Author, quisquis ille fuerit, Hebræos hortatur vt eam doctrinam quam audiuerant constanter retineant. Epistola igitur exhortatoria est: Exhortationis propositio est, Retinete eam doctrinam quam accepistis, vel tenete professionem vestram. Eius multa afferuntur argumenta ad caput vltimum. Primum argumentum partim est à persona ministri, partim ab ipsa docendi ratione ac modo, sed præcipuè à persona ministri, Filij Dei per quem, non πολυτρόπως, sed vna eademque forma tradidit nobis vltimis hisce diebus salutis doctrinam. Hoc argumentum proponitur primis statim Epistolæ huius verbis, & concluditur initio capitis secundi. Ad huius argumenti amplificationem digreditur in magnificam descriptionem Filij Dei, quaquidem vult à nobis conspici quãta sit illius personæ dignitas, à vers. 2. ad finem capitis primi. Secundum argumentum est à certo Dei iudicio quod sequetur neglectum professionis nostræ, vel doctrinæ tam salutiferæ, à vers. 2. capitis secundi, ad posteriorem partem versus octaui: vbi

varia

varia digressio est & multiplex occupatio, partim de Christi gloria, partim de ipsius passione ad finem capitis. Tertium argumentum coniunctum est & compositum, partim ex Prophetia siue Apostolatu, partim ex sacerdotio Christi. Hoc argumentum explicatur ab initio capitis tertij ad alteram partem versus sexti, & repetitur vers. 14. & 15. capitis quarti. Quartum argumentum est à beata nostra conditione, quòd si teneamus professionem, domus Christi sumus, ab altera parte vers. 6, ad vers. 17. capitis tertij. Quintum argumentum est à priuatione cœlestis illius requietis, de qua loquitur Dauid Psalmo 95. Ad hoc argumentum transit in fine capitis tertij: habetur autem argumentum ipsum capite quarto ad alteram partem versus tertij. Quo loco egreditur ad ostendendũ requiem illam, de qua loquitur Dauid, diuersam esse, & à requie Sabbathi, & ab illa requie quam populus obtinuit per Iosuam, cum collocaretur in terra Canaan, ad vers. 11. Vbi est exhortationis conclusio cum argumento quinto repetito & confirmato, ad vers. 14. Sextum argumentum est à Dei gratia & misericordia, versu vltimo capitis quarti. Capite quinto digreditur in confirmationem Pontificatus Christi in genere ad versum 11. quo loco proponit de Melchisedeco dicendum, idque in eum finẽ vt demonstret Christum esse Pontificem secundum ordinem Melchisedec, hoc est, certum quendam ordinem pontificatus Christi. Verùm à proposita hac de

de Melchisedeco doctrina digreditur, primùm in reprehensionem segnitiei & ruditatis Hebræorum ad quos scribit, à versu 12. ad finem capitis, deinde in exhortationem, qua hortatur vt feramur ad perfectionem, adiecta graui denuntiatione in Apostatas, à vers. 1. capitis sexti ad vers. 9. vbi correctio est & mitigatio illius denunciationis ad vers. 11. quo loco specialis quædam exhortatio est ad perseuerandum in charitate & bonis operibus, ad alteram partem vers. 12. Atq; hic redit ad exhortationem principalem, eiusq; argumentum affert septimũ ab exemplo veterum & piorum Patrum, qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hereditatem, ad posteriorem partem versus 18. In altera parte vers. 18. est argumentũ exhortationis octauum, quod cursum eo corripuerimus vt spem propositam obtineamus. Capite septimo persequitur doctrinã de Melchisedeco propositam vers. 11. capitis quinti, & primùm quidem Melchisedeci, vt erat typus Christi, descriptio est, cuius occasione de excellentia eius agit ad vers. 11. Vbi digressione facta probat mutatum esse sacerdotium legale pariter & ministerium legale, ad versum 20. Ab eo loco agitur de ipso Christo, cuius typus erat Melchisedec, eiusque præstantia & excellentia multis argumentis ostenditur, ad finem capitis noni. Capite autem decimo persequitur fusiùs quod cœperat ostendere versu 25. capitis 9. demonstrans Christum non sæpiùs offerendum, sed vnicam eius oblationem sufficere ad vers. 19. Quo

loco

loco reuertitur ad exhortationem principalem (à qua digressus fuerat ab initio capitis septimi) eiusque argumenta affert duo, nonum & decimum. Nonum est à libertate ingrediendi sacrarium cœleste: Decimum est a Præfecto domus Dei siue sacrarij in quod ingrediendum est. Hæc duo argumenta coniunguntur, à versu 19. ad versum 26. Vndecimum argumentum est à pœna apostasiæ & defectionis à fide, à versu 26. ad versum 32. Duodecimum argumentum est à mercede fidei: Decimumtertium à vita æterna quã consequuntur perseuerantes in fide. Duo hæc argumenta habentur sub finem capitis decimi. Capite vndecimo toto digressio est in commendationem fidei. Capite duodecimo redit ad institutam exhortationem, cuius argumentum decimumquartum est vers. 1. à testibus, siue exemplis credentium qui perseuerarunt in fide. Decimumquintum est vers. 2. ab exemplo ipsius Christi: vnde sumpta occasione exhortationem generalem, ad retinendam professionem, & constanter propositum nobis stadium decurrendum, præscriptis quasi specialibus quibusdam currendi legibus, illustrat, & ad patientiam in afflictionibus, ad præeundum alijs bono exemplo, ad pacem, ad sanctimoniam &c. tanquam speciales currendi modos adhortatur, à versu 3. ad versum 25. vbi est argumentum exhortationis decimumsextum, à iudicio quod sequetur eos qui Christum loquentem auersantur, ad versum 28. Quo versu decimum-

sep-

ſeptimum eſt argumentum, à participatione regni illius quod concuti non poteſt. Verſu vltimo eſt argumentum exhortationis decimumoctauum, à natura Dei noſtri, qui ignis eſt conſumens, eoque conſumpturus omnes qui non perſeuerantes in fide ipſi non ſeruiunt iuxta ipſius placitum. Poſt exhortationem principalem capite vltimo doctrina eſt paranetica, qua hortatur ad officia quæ ad ſecundam præcipuè legis tabulam pertinent, ad verſum 18. Vbi poſtquam Hebræis ad quos ſcribit preces pro ſe commendaſſet, Epiſtolam hanc precibus primùm, deinde hortatione, poſtremò aliis aliquot varij argumenti ſermonibus concludit.

ANALYSIS LOGICA IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Argumentum Capitis Primi.

HVius Capitis duæ sunt partes: Prima est propositio primi argumenti exhortationis hac epistola instituræ, vt doctrinam quam acceperunt retineant. vers. 1. Secunda est digressio in amplificationem propositi argumenti. Amplificatio est per descriptionem Filij Dei magnificam, a versu 2. ad finem.

CAPVT I.

DEVS multis vicibus multisque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium.

DEVS multis vicibus] Argumentum exhortationis primum vers. 1. proponitur, tum reliquo capite illustratur & amplificatur: Propositio argumenti est. Deus vltimis diebus hisce locu-

tus eſt nobis per filium ſuum. Propoſitio argumenti non eſt ſimplex, ſed tractata eſt per comparationem, vel diſsimilem, vel minorem, doctrinæ traditę Patribus. Comparatio igitur eſt, Deus olim locutus eſt Patribus per Prophetas, vltimis diebus locutus eſt nobis per Filium. Diſsimilitudo (vt ſic dicam) locutionis Dei maximè hic conſideranda eſt in Miniſtris: olim locutus eſt Patribus, per Prophetas tanquam miniſtros, vltimis hiſce diebus locutus eſt nobis, per Filium tanquam miniſtrum. In perſonis igitur miniſtris ſermonis Dei, maximè poſita eſt diſsimilitudo, vel (ſi lubet) imparitas. Verùm ad diſsimilitudinem in perſonis addita eſt ſecundo loco diſsimilitudo in forma loquendi, ac docendi. Deus locutus eſt Patribus πολυμέρως, καὶ πολυτρόπως. Quibus verbis mihi videtur inſui varietas Politiæ Eccleſiaſticæ ac Diuinæ, quæ inde ab initio fuit, ætatibus Patrum, ad Chriſti vſque aduentum. Nam vt taceam ſpecies illas Politiæ diuinæ varias, politiam familiæ Patrum, deinde Politiam Eccleſiæ, quę cœpit eſſe quum populus in Ægypto collocatus eſt, profecto in politia primum familiæ, varia fuit οἰκονομία & diſpenſatio eorum quæ ad cultum Dei pertinent, & ſingulis ætatibus Patrum, aliquid in οἰκονομία vel mutatum eſt, vel auctum. Rurſus ſi ad politiam Eccleſiaſticam deſcendamus, in ea quoque progreſſu tempo-

ris

ris varia fuit διαφορία. Si lubet has voces in distincto sensu accipere, prima vox significabit multitudinem, & varietatem partium doctrinæ Patribus traditæ: Neque enim omnes doctrinæ de Deo partes, simul ac semel traditæ sunt, vna aliqua ætate: verum diuersis ætatibus Patrum, diuersę partes doctrinæ sunt traditæ, & successu temporis doctrina de Deo augmentum cepit: Verbi gratia, Tempore Noachi cœpit auctior esse, quam fuit tempore Henochi: Deinde ætate Abrahami cœpit auctior esse quam fuit ætate Noachi: tum sub Isaaco cœpit auctior esse, quam sub Abrahamo, &c. Vox autem altera πολυτρόπως, ad doctrinæ propositæ formam pertinebit: Nam eadem doctrina, alia atque alia ætate, forma alia atque alia proposita est. In ἀπαξ nihil expresse habetur, quod respondeat his vocibus, quas habemus expresse in πολυτρόπως: dissimilitudinis: Contrarium autem facilè intelligi potest ex contrario, nempe quod Deus salutis doctrinam, non πολυμέρως, sed simul ac semel totam, non πολυτρόπως, sed vna eademque constanti forma, tradiderit nobis vltimis hisce diebus, per Filium suum. Atque hactenus sic explicata est propositio argumenti primi comparata: Est autem argumentum partim quidem à persona Ministri, partim verò ab ipsa docendi ratione ac modo, sed præcipuè à persona Ministri.

2 Quem constituit heredem omnium: per quem etiam mundum condidit.

3 Qui quum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia verbo illo suo potente purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sedit ad dextram maiestatis illius excelsissimæ.

4 Tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen.

5 Nam cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum, Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius.

6 Rursum autem quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.

7 Et de Angelis quidem dicit, qui Angelos suos facit ventos, & Ministros suos, ignis flammam:

8 Ad filium autem, Thronus tuus, Deus in seculum seculi: virga recta, virga regni tui.

9 Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis ultra consortes tuos.

10 Et, Tu in initio Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli.

11 Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes vt vestimentum veteraſcent:

12 Ac velut amictum circumvolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

13 Ad

13 Ad quem autem Angelorum dixit vnquã Sede ad dextram meam, vsque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

14 Nonne omnes sunt ministratores spiritus, qui ministerij causa mittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis?

Quem constituit) Ad amplificationē propositi argumenti primi, egreditur in magnificam descriptionem personæ ministræ, Filij Dei, ex qua quidem descriptione vult à nobis conspici quanta sit ejus personæ dignitas: Describitur autem persona ministra, Dei Filius, ex argumentis, partim simplicibus, partim comparatis. Primum argumentum est ab hæreditate ipsius amplissima à Patre ipsi data, vt qui sit Filius Patris vnigenitus: Nam si Filius est, hæres est necessariò. *Per quem*) Secundum argumentum descriptionis est à mundi creatione, quæ fuerat per Filium.

3 *Qui quum sit*) Tertium est argumentum descriptionis, à glorioſa sessione ipsius ad dexteram Patris sui: huic sessioni fundamenta substernuntur tria, primum est similitudo Filij cum Patre suo: Similitudo posita est in duobus, primùm in eo quod sit splendor gloriæ paternæ, hoc est, glorioſæ ipsi us essentiæ: hęc similitudo, vel potiùs (vt sic dicam) identitas, est in substantia vna eademque. Deindè similitudo in eo posita est, quod sit

character personæ illius: hæc similitudo est personæ, qua Filius non tantùm idem est cum Patre, quoad naturam & essentiam vnam eandemque, sed etiam quoad Personam Filij Patri similis est, & refert quasi imagine Patrem suum. Mysterium hoc similitudine è medio sumpta aliquo modo adumbrari potest, sic: Filius aliquis, qui non tantùm natura sua, & essentia, idem sit quodam modo cum Patre, nempe paternæ essentiæ participatione, sed etiam Patrem suum referat externis corporis lineamentis, quantitatibus, qualitatibus, vultu, voce, gestu: jam hic filius quòd ad naturam dicitur imago essentiæ ac naturæ paternæ, quod verò ad externa corporis lineamenta, &c. dicetur imago personæ paternę. Similiter res habet in Dei Filio, qui est Imago Patris, non tantùm quoad naturam, & essentiam eandem, ac totam, sed etiam quoad personam, hoc est, vt sic dicam, illius vnius essentię lineamenta, vultum, vocem, gestum, hoc est, quoad ea quę in Deo Patre incomprehensibilia sunt, & quæ necesse est mutuatitijs huiusmodi vocibus exprimere. *Sustineatque*) Secundum est fundamentum, quo nititur glorioſa illa sessio ad dexteram Patris, à conseruatione rerum omnium creatarum. *Purgatione*) Tertium est fundamentum à redemptione humani generis, quam vocat purgationem peccatorum nostrorum: Purgationem

nem hanc δι' ἑαυτοῦ per ſeipſum factam dicit, hoc eſt, per ſui ipſius oblationem in cruce, & per lauacrum, non externum aliquod, verùm ſui ipſius ſanguinis: hoc enim purgationem per Chriſtum factam mirificè commendat. Apoſtolus Philip. 2. 9. & deinceps, dicit Chriſtum (ob hanc ipſam purgationem peccatorum noſtrorum qua ſe exinaniuit) euectum eſſe ad ſummam ſublimitatem, hoc eſt, ad dexteram Dei Patris: ergo & ſine dubio hoc quoque fundamentum eſt quoddam, glorioſæ illius ſeſſionis ad dexteram Patris. *Sedet ad dexteram.*) Ex fundamentis iſtis jam jactis, ſequitur tertium illud argumentum deſcriptionis Filij Dei, à glorioſa ipſius ſeſsione ad dexteram Patris.

4. *Tantò præſtantior*) Nunc deſcribitur Filius Dei comparatè, facta nimirum comparatione cum Angelis, qui creaturæ ſunt præſtantiſsimę, & glorioſiſsimę. Propoſitio comparationis hæc eſt: pręſtantior factus eſt Angelis: Ratio, excellentius ſortitus eſt præ Angelis nomen: ſenſus enim hujus verſus eſt, quaſi dicat, præſtantior factus eſt Angelis, quia excellentius præ ijs nomen eſt ſortitus. Verùm propoſitionem cum argumento ſuo inter ſe copulauit, per argumentum parium, ſimulque propoſuit. *Nomen* intelligo, honorificam appellationem, & mentionem Filij in Scripturis, non vno in loco occurrentem, cujuſmodi eſt no-

men Filij Dei.

5 *Nam dixit)* Sequuntur teſtimonia, partim de Filio, ipſiuſq; honorabili nomine in Scripturis ſacris ſeſe offerēte, partim de Angelis, ipſorumq; miniſterio: adducuntur autem omnia quæ ſequuntur teſtimonia ad oſtendendum id quod dictum eſt verſu 4. Filium præ Angelis excellentius ſortitum eſſe nomen, id eſt, honorabiliorem Filij in Scripturis ſacris mentionem fieri, quàm Angelorum.

Filius meus) Teſtimonium hoc primum eſt ex Pſalmo 2. 7. Eſt autem de Filio Dei, in quo fit mentio ipſius vt Filij. *Et rurſum)* Secundum teſtimonium ex 1. Chron. 22. 10. Eſt autem de Filio, & in eo fit honorabilis mentio ipſius, vt Filij.

6 *Rurſus autem)* Tertium teſtimoniū de Filio, ex Pſa. 97. 7. In hoc teſtimonio fit mentio Filij, vt Dei adorandi, etiam ab ipſis Angelis.

7 *Et de Angelis)* Quartum teſtimonium, ex Pſal. 104. 4. Eſt autem de Angelis, & in eo fit mentio Angelorum, vt Miniſtrorum Dei velociſsimorum, vt qui Spiritus ſunt, & tanquam ignis flamma.

8 *Ad Filium)* Quintum teſtimonium, ex Pſal. 45. 7. Eſt autem de Filio, & in eo fit mentio Filij, vt glorioſi Regis, inſidentis Throno ſuo, & manu tenentis ſceptrum Regni ſui.

10 *Et tu initio)* Sextum teſtimoniū ex Pſal.

102. 26. Est autem de Filio: Ejus mentio fit, vt Dei ęterni Creatoris omnium rerum.

13 *Ad quem autem*) Septimum testimonium, ex Psal. 110. 1. Est autem de Filio, & in eo fit mentio ejus, vt Regis glorioſi ſedentis ad dexteram Patris: tractatur per communicationem. Primùm quærit Apoſtolus, cuinam Angelorum vnquam ſit hoc dictum quod ſequitur? Reſponſio negata poſt interrogationem intelligenda eſt, quaſi dicat, nulli.

14 *Nonnè omnes*) Ratio eſt negatæ & intellectæ reſponſionis, ab Angelorum conditione & functiõne: omnes ſunt miniſtratores Spiritus. *Qui miniſterij*) Definitio quædam eſt miniſtratorũ Spirituum, ex ijs quibus miniſtrant, nempe hæredibus ſalutis; Mittuntur enim miniſterij cauſa, propter eos qui hęredes erunt ſalutis. Vel ſi lubet, Ratio eſt, cur dixit miniſtratores Spiritus, ex fine miſsionis ipſorum: Mittuntur enim miniſterij cauſa, idque propter hæredes ſalutis. Quare Angeli miniſtratores ſiue miniſtri dicuntur, reſpectu Dei cui miniſtrant, non hominum, etſi miniſtrent Deo ſuo propter homines, ipſorumque ſalutem. Hactenùs itaque, adductis ſeptem teſtimonijs, oſtenſa eſt illa propoſitio, quæ fuit ſuprà verſu 4. Filium excellentius nomen ſortitum præ Angelis. In Scripturis enim fit mentio Filij: primùm, vt Filij Dei: ſecundò, vt Dei adorandi: tertiò, vt

Regis

Regis, cum Throno & sceptro: quartò vt Creatoris: quintò vt Regis sedentis ad dexteram Patris. Angelorum autem mentio fit, vt Spirituum ministratorum. Nam quod nomen vocat, versu. 4. ego accipio illud non de nomine tantùm Filij Dei, de quo in duobus primis testimonijs, sed etiam de alia quacunq; Christi appellatione & mentione: de qua in reliquis testimonijs.

Argumentum Capitis secundi.

HVius Capitis tres sunt partes. Prima est, Conclusio principalis exhortationis. vers.1. Deinde est secundum hortationis argumentum, tractatum & explicatum. a vers. 2. ad postrema verba vers. 3. Vndè initium sumit tertia pars capitis, posita in varia digressione ac multiplici occupatione: quarum primæ duæ sunt de Christi gloria, ad versum vique 10. reliquæ sunt de Christi passione, indè ad finem capitis.

CAPVT II.

PRopterea oportet nos eo magis attendere ijs quæ audiuimus, nequando perfluamus.

Propterea oportet) Conclusio exhortationis post digressionem, quę fuit indè a vers. 2. Ca. 1. Non infert simpliciter oportere nos attendere ijs quę audiuimus, sed comparatè ait, eò magis attendere ijs quæ audiuimus; quasi dicat, Quò est Filius, per quem locutus est Deus hisce diebus vltimis, persona dignior ac glorioſior, eò magis oportet attendere ijs, quę ex ipso audiuimus. Ergo conclusio hæc exhortationis infertur ex argumento illo, à persona Filij Dei, non nudè tantùm expositò, sed in digressione (vt au-

(vt audiuimus) amplificato. Porrò attendere ijs quę audita ſunt, nihil eſt aliud quàm id quod dicitur poſteà, retinere profeſsionem, hoc eſt, doctrinam Chriſti jam perceptam, quod quidem quid aliud eſt. quam perſeuerare in fide ad finem vſque? *Nequando)* Quò pertineat & ſpectet illa attentio docet: eò autem ſpectat, ne quando effluamus, hoc eſt, ne quo tempore ea quę audita ſunt nobis effluant. Metaphora eſt à vaſis quæ perfluunt, ac non continent infuſum liquorem. Sententia igitur eſt: Attendite, & in hoc incumbite ſumma diligentia, vt contineatis & retineatis ea quę audiuiſtis.

2. *Etenim ſi per Angelos dictus ſermo fuit firmus, omniſque tranſgreſſio & contumacia iuſtam mercedis retributionem retulit.*

3 *Quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ quùm primùm enarrari cœperit per ipſum Dominum ab ijs qui ipſum audierant fuit nobis confirmata.*

4 *Teſtimonium illis præbente Deo & ſignis & prodigijs, variſque virtutibus & Spiritus ſancti diſtributionibus pro ſua voluntate.*

5 *Non enim Angelis ſubiecit mundum illum futurum de quo loquimur.*

6 *Teſtatus eſt autem quidam alicubi, dicens, Quid eſt homo, vt memor ſis eius, aut filius hominis, vt eum reſpicias?*

7 *Feciſti eum paulliſper inferiorem Angelis: gloria*

gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

8 Omnia subiecisti sub pedibus eius: Eninuerò per hoc quod ei subiecit omnia nihil omisit quod non sit ei subiectum.

2 *Et enim si per*) Secundum argumentum exhortationis, à certo Dei judicio quod sequitur neglectum professionis nostræ, vel doctrinæ tam saluificæ. Non effugiemus, inquit, si tantam neglexerimus salutem, id est, salutarem doctrinam. Ergo in ea perseuerate. Antecedens illustratum est comparatione minorum. Si doctrina per Angelos ministrata, hoc est, si doctrina Legis (nam per Angelos fuit ministrata. Galat. 3. 19.) firma fuit, hoc est, vt sequentia verba exponunt, si nemo Legis per Angelos datæ, transgressionem impunè tulit, quantò magis non effugiemus si tantam neglexerimus salutem? *Omnisque transgressio*) Hæc est epexegesis verbi proximi: nam ideò sermo Legis, qui datus est per Angelos, firmus fuit, quia omnis transgressio illius sermonis, & contumacia, justam mercedis retributionem retulit: sermo enim firmus est qui non impunè violatur.

3 *Quæ quum primùm*) Argumenti secundi, quod proximè præcedentibus verbis conclusum est, amplificatio inserta per parenthesin videtur, ab hoc loco, ad versum vsque quintum.

tum. Concluſio argumenti fuit, Nos non effugiemus judicium, ſi tantam neglexerimus ſalutem, hoc eſt, ſalutis doctrinam. Amplificatio, ſiue ratio eſt, à miniſterio Apoſtolorum: quaſi dicat. Salutis hæc doctrina, præterquàm quod per ipſum Dominum primum cœpit enarrari, etiam ab Apoſtolis qui cum Domino verſati ſunt, ipſum viderunt, ipſum audiuerunt, & (vt eſt 1. Ioan. 1. 1.) manibus ſuis ipſum contrectarunt, ab Apoſtolis, inquam, tanquam teſtibus fide digniſsimis, nobis eſt confirmata: Ergo vel hac etiam de cauſa, & propter hoc ipſum miniſterium Apoſtolorum, non effugiemus judicium, ſi tantam neglexerimus ſalutem. Nota igitur, quò plures ſunt teſtes doctrinæ à Chriſto primum traditæ, eò grauius futurum eſt judicium noſtrum, ſi eam doctrinam contempſerimus. Sic ergo paucis verbis accipe ſummam verſ. 2. & 3. quibus tractatur ſecundum argumentum propoſitæ exhortationis. Argumentum eſt à judicio Dei hoc modo. Non effugiemus, ſi doctrinam ſalutis, quæ per Filium Dei tradita eſt, neglexerimus. Ergo non eſt negligenda aut contemnenda. Antecedentis ratio eſt à minori. Non effugerunt qui doctrinam Legis, per Angelos traditam contempſerunt. Ergo quantò magis non effugient, qui doctrinam ſalutis per Dei Filium traditam

neglex-

neglexerint. Hujus conclusionis amplificatio est, præsertim etiam quum per Apostolos Domini doctrina hæc salutis sit confirmata.

4 *Testimonium illis)* Commendatio est Ministerij Apostolorum, à testimonijs divinis, quibus ipsorum vocatio extraordinaria confirmata est & exornata. Testimonia divina sunt, signa, prodigia, variæ virtutes, ac distributiones Spiritus sancti, quibus testimonijs & donis extraordinarijs testari voluit mundo Dominus Apostolos ita illuminatos & gubernatos fuisse, vt in doctrina cœlesti tradenda errare nullo modo potuerint. Commendatio hæc ministerij Apostolici eò quoque refertur quo ipsum eorum ministerium referebatur, nempe ad docendum id quod dixit, contemptores doctrinæ salutis non effugituros judicium.

5 *Non enim)* Hactenus digressiuncula fuit in amplificationem propositi argumenti secundi. Nunc redire videtur ad confirmandam consecutionem illam quæ fuit à minori ad majus: Contemptores doctrinæ Legis per Angelos traditæ non effugerunt, ergo quantò magis non effugiemus nos, si doctrinam Filij Dei cõtempserimus. Ratio sequelæ est à gloria Christi præ Angelis, quæ in eo sita est, quòd non Angelis, sed Christo subjecit Deus mundum illum futurum. *De quo)* Hæc verba docent per mundum futurum nihil aliud intelligi, quam tantam

tantam illam ſalutem, de qua dixit ſuprà, verſ. 3. Nam regnum Dei, ſiue mundus futurus, ſitus eſt in juſtitia, pace, gaudio per Spiritum ſanctum, deniq; ſalute ęterna. Rom. 14. 17.

6 Teſtatus eſt autem) Dignitatem & gloriam Chriſti prę Angelis, confirmat teſtimonio Dauidis. Teſtimonium hoc eſt, ex Pſalmo 8. 5. In hoc teſtimonio Dauidis citato, primùm eſt propoſitio dignitatis hominis, ſiue naturę humanę in Chriſto (nam de eo pręcipuè accipienda ſunt verba Prophetæ) propoſitio, inquam, dignitatis cum admiratione quadam. Oritur autem admiratio, ex conſideratione, partim vilitatis naturæ humanæ, partim dignitatis illius, in quam tamen natura noſtra in Chriſto eſt euecta.

7 Feciſti eum) Hoc verſu, & principio ſequentis verſus, eſt propoſitę dignitatis naturæ humanæ explicatio: Primùm verba hæc adducta ſunt per occupationem: At Chriſtus homo factus eſt Angelis inferior, nempè quum factus eſt obediens Patri, vſque ad mortem, mortem autem crucis? Reſpondet primùm conceſsione, paulìſper quidem factum Chriſtũ Angelis inferiorem: deinde correctione, paulò poſt tamen Chriſtum gloria & honore coronatum: Tum illa gloria in quam eſt euectus declaratur ex rebus creatis, ſuper quas omnes Chriſtus eſt conſtitutus Dominus, &

Rex

Rex, & quę ſub pedibus Chriſti omnes ſunt ſubjectæ.

8 *Enimuerò)* Author colligit ex proximis Dauidis verbis, conſectarium quoddam: nempè quòd nihil planè omiſſum ſit à Patre, quod non ſit Chriſto ſubjectum. Conſectarium hoc infertur ex nota vniuerſi generis, qua creaturæ ſubjectæ Chriſto circumſcriptæ ſunt à Propheta: Nam ſi omnia ſubjecit, ergo nihil eſt non ſubjectum. Conſectarium hoc continet ſummam teſtimonij adducti: nam ex eo hoc diſcimus, quàm latè pateat Chriſti dominium, ad omnes nimirum creaturas, nulla planè excepta.

----- *At nunc nondum videmus ei omnia eſſe ſubiecta.*

9 *Sed Ieſum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui paulliſper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſſionem: vt beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret.*

10 *Decebat enim vt ipſe propter quem* ſunt *hæc omnia, & per quem* ſunt *hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem ſalutis ipſorũ per afflictiones conſecraret.*

11 *Nam & qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex vno* ſunt *omnes: quã ob cauſam non erubeſcit ipſos vocare fratres.*

12 *Dicens, Annunciabo nomen tuũ fratribus meis, in medio Eccleſiæ tibi hymnos canam.*

13 Et

13 Et rursum, Ego fretus ero ipso, Et iterum, Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.

14 Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, vt per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum.

15 Et liberos redderet quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxij erant seruituti.

16 Non enim videlicet Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit.

17 Vnde debuit per omnia fratribus similis fieri, vt misericors esset & fidelis Pontifex in ijs quæ apud Deum agenda forent. *ad expiandum peccata populi.*

18 Nam ex eo quod perpessus fuit quum tentatus est, potest & ijs qui tentantur succurrere.

At nunc nondum) Reliquo capite toto varia est digressio, & multiplex occupatio, prima est aduersus consectarium proximum, quod collectum est ex verbis Dauidis: Atquì, dici potuit ab aliquo, nondùm videmus illi sùbiecta esse omnia? Respondet Author, primùm concessione, id quidèm ita esse. Intelligit autem nondum Christo subjecta esse omnia, respectu membrorum Christi, quorum quidem respectu nondùm planè subjecta sunt Christo, mors peccatum, Diabolus.

9 *Sed Iesum illum*) Responsionis altera pars,

per correctionem. At, inquit, ipse Iesus in se consideratus, & vt caput est membrorum suorum gloria, & honore coronatus est, hoc est, dominium obtinuit in omnes res, & in se jam planè vicit mortem, peccatum, Diabolum, sibique ea subjecit. *Qui paulisper)* Altera videtur occupatio esse, cujus occasio arrepta est ex testimonio Dauidis: quasi dicat quis, Atqui, teste Propheta, certè paulisper fuit inferior Angelis factus. Illud quidem concedit, simulq; causam subjectionis, & finem exponit. Causa subjectionis illius, qua ad tempus factus est inferior Angelis, fuit mortis perpessio: Nam subjectio, siue (vt sic dicam) inferioritas Christi, in mortis perpessione maximè posita est. *Vt beneficto)* Hic finis est, cur in morte factus sit inferior Angelis, est autem vt nos à morte liberaret: ergo finis sumus nos, nostraque salus. Simul causa cur pro nobis mortuus sit addita est, Dei beneficium, siue Dei gratia: nam hoc ex Dei gratia fuit, & in Dei beneficijs numerandum est imprimis, quod Christus nostram vicem in morte sua suppleuit, quum nobis alioqui necessariò moriendum fuerit.

10 *Decebat enim)* Ratio cur pro nobis omnibus Christus mortuus sit, per occupationem: Estque hæc occupatio tertia. Annon potuit Deus alia ratione seruare humanum genus, quàm morte Christi Filij sui? Respondet à de-

coro

eoro, ſiue ex eo quod Deum facere decuit. Decebat Deum, vt in gloriam adduceret multos filios, Principem ſalutis ipſorum per afflictiones conſecrare. *Propter quem)* Periphraſis quædam Dei eſt, quæ (vt videtur) rationem continet, cur Deum decebat ſic facere: Eſt autem à jure & poteſtate Dei, quæ innuitur ex eo, quod propter ipſum, & per ipſum ſunt hæc omnia, hoc eſt, quod ipſe ſit, & finis, & fons atq; author horum omnium. Hinc ſequitur, eum jure quodam ſuo potuiſſe de his omnibus ſtatuere pro arbitratu ſuo.

11 *Nam & qui)* Quarta occupatio. At diceret quis: Quî potuit pati Filius Dei, vel quî potuit conſecrari per afflictiones? Reſpondet, Et qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno ſunt omnes, hoc eſt, ex vna & communi natura, & (vt ſic dicam) materia patibili, ſiue perpeſſionibus obnoxia: Carnem & ſanguinem vocat poſteà hoc capite verſu 14. Eſt igitur hęc ratio per occupationem, cur Deus conſecraverit per afflictiones Principem ſalutis noſtrę. *Quam ob cauſam)* Ex teſtimonio ipſiuſmet Chriſti, qui vocat eos qui ſanctificãtur fratrum nomine, confirmat, & Chriſtum ſanctificantem, & nos qui ſanctificamur, ex vna & communi natura ac materia eſſe.

12 *Dicens)* Teſtimonium Chriſti confirmat ex Scripturis, primùm ex Pſalmo 22. 13.

12 *Et rursum)* Secunda Scriptura est Psal. 18. 3. vbi Christus loquitur vt homo & frater noster: nam fiducia in Deum hominis est propriè, & creaturæ. *Et iterum)* Tertia Scriptura est Esaiæ 8. 18.

14 *Quoniam igitur)* Ex proximis Esaiæ verbis colligit quod instituit, nempè Christum participem esse carnis & sanguinis, siue Christum nobiscum vnius esse naturæ. Hoc autem syllogismo infert institutum. Christus dicit: Ecce ego & pueri, h. e. associat se pueris: Atqui pueri participes sunt carnis & sanguinis, Ergo ipse Christus quoq; similiter particeps factus est eorundem. Sententia propositionis est in testimonio Esaiæ: Assumptio cum conclusione est in prima parte hujus versus. *Vt per mortem)* Conclusionem illustrat ex fine suo: finis autem triplex ex his & sequentibus verbis elici potest: Primus finis est, vt moreretur: Sequitur hic finis ex proxima conclusione primum & proximè: Nam si ejusdem naturæ nobiscum factus est, profectò mori potuit; atque ob idipsum factus est ejusdem naturæ vt moreretur. Est igitur hæc principalis conclusio quam instituit hoc loco ostendendam, nempè Christum per afflictiones & mortem consecratum. *Aboleret)* Secundus finis est, abolitio Diaboli, sequitur priorem: Nam ideò mortuus est vt aboleret Diabolum. Primùm est Diaboli

quædam

quædam periphrasis, & circumscriptio: deinde, ne forte ex circumscriptione ignoraretur, est ipsius expressa nominatio: Nam nomina rerum sæpè sunt notiora nobis ipsarum descriptionibus.

15 *Et liberos)* Tertius finis, qui sequitur ex secundo: Liberatio nostri: qui autem liberantur, descripti sunt ex seruitute cui obnoxij erant per omnem vitam, hoc est, ex seruili sua conditione, quam quidem ostendit, ex illo mortis metu, tanquam caussa quadam sua: nam qui metuunt mortem, illi serui sunt, ac seruili sunt conditione, non autem ingenui, neq; filij, & metuere iram Domini seruile est ac seruum arguit.

16 *Non enim videlicet)* Liberationem de qua dixit proximè, & quæ per Christum est, deinceps ostendit ex tribus suis fundamentis, quorum primum est natura humana, vel semen Abrahæ assumptum à Christo: hoc fundamentum illustrat ex diuersis, seu per remotionem naturæ Angelicæ, vtpotè quę inepta sit ad hoc opus liberationis nostræ.

17 *Vnde debuit)* Alterum fundamentum ex superiori collectum, similitudo nimirũ Christi & nostri, in qualitatibus & perpessionibus ejusdẽ & cõmunis naturę. *Vt misericors)* Tertium fundamentum ex proximo. Ex qualitatibus & infirmitatibus communibus euasit Christus mi-

ſericors & fidelis Pontifex apud Deum. *In iis quæ*) Pontificatus Chriſti quædam declaratio ſubiecta eſt. Declaratio hęc primùm eſt à rebus ſubjectis, in quibus cernitur Chriſti Pontificatus: Cernitur enim in ijs quæ apud Deum agenda ſunt: Deinde declaratio eſt à Pontificatus fine, qui eſt ad expiandum peccata populi.

18 *Nam ex eo*) Oſtendit ideò Chriſtum factum ſimilem fratribus per omnia, vt eſſet miſericors, hoc eſt, oſtendit tertium fundamentum ſequi ex ſecundo, ideò miſericordem eſſe & fidelem Pontificem, quòd fratribus ſimilis factus ſit per omnia: oſtendit, inquam, hoc ex certa quadam ſpecie communium afflictionum, nempe tentationibus: ex eo, inquit, quòd perpeſſus eſt tentationes Diaboli Chriſtus ex uaſit miſericors erga tentatos ſimiliter: Hinc ſequitur factum eum ſimilem fratribus in omnibus afflictionibus, vt miſericors eſſet erga quocunque modo afflictos: illuſtratio eſt generis à certa quadam ſui ſpecie.

Argumentum Capitis tertij.

HOc capite primum habemus argumentum exhortationis tertium, ad alteram vſque partem verſus 6. quo loco habemus argumentum exhortationis quartum, ad verſum vſque 4 hinc ſequitur concluſio exhortationis, ad verſum vſque 14. a verſu 14 repetitio fit argumenti quarti, ad verſum 17. a quo verſu eſt tranſitio ad argumentum exhortationis quintum, ad finem vſque capitis.

CAPVT III.

Vnde

VNde fratres ſancti vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem profeſſionis noſtræ Chriſtum Ieſum.

2 Fidelem ei qui ipſum conſtituit: vt & Moſes fidelis fuit *in tota domo ipſius.*

3 Tantò *namque ampliore gloria præ Moſe hic dignus eſt habitus, quantò maiorem habet honorem is qui conſtruxit domum quam domus ipſa.*

4 Omnis enim domus conſtruitur ab aliquo: qui verò condidit omnia hæc eſt *Deus.*

5 Et Moſes quidē fidelis fuit in tota domo ipſius, vt famulus, ad teſtificanda quæ poſt erant dicenda.

6 At Chriſtus, vt filius, domui ſuæ præeſt:

Vnde fratres) Nunc Apoſtolus reuerſus ad inſtitutum, primùm affert argumentum exhortationis tertium: eſt autem argumentum hoc conjunctum, partim ex Prophetia ſeu Apoſtolatu, partim ex ſacerdotio Chriſti: habemus Ieſum Chriſtum Apoſtolum & Pontificem profeſsionis noſtræ: ergo teneamus profeſsionem, vt concludit poſteà cap. 4. verſ. 14. Argumentum hoc tertium inferre videtur, ex ijs quæ ab initio hujus epiſtolæ dicta ſunt, ac priorem quidem ejus partem ex his quæ dicta ſunt de Chriſti prophetia & miniſterio, poſteriorem ex his quæ dicta ſunt proximè, poſtrema nimirum parte capitis ſecundi, de Chriſti paſsione ſiue functione ſacerdotali: paſſus

enim est Christus, vt Sacerdos & Pontifex. Sensus ergo hujus loci est: Quum Christum habeatis, & ministrum doctrinæ quam profitemini, & Sacerdotem, suo sacrificio ac sanguine sancientem ratamque facientem eam ipsam doctrinam (Christus enim ratum facit suo sanguine Nouum Testamentum) considerate eum diligenter, & tenete professionem vestram; in verbo enim considerandi comprehensa est cõclusio exhortationis. *Vocationis*) Definitio quædam est Sanctorum quos dixit: Nam ij sancti sunt, qui participes facti sunt vocationis cœlestis, hoc est, qui vocati sunt ad cœlestia. Nam quos vocauit eos iustificauit, quos justificauit eos glorificauit. Rom. 8. 30.

2 *Fidelem ei*) Amplificatio est argumenti proximi, à fidelitate (vt sic dicam) Christi in officio suo, tam Apostolico siue Prophetico, quàm sacerdotali. *Qui ipsum constituit*) Periphrasis est Dei Patris, qui filium constituit Apostolum & Pontificem, hoc est, vocauit ad illa munera obeunda. De hac vocatione Filij, vide postea Cap. 5. versu 5. Fidelitas Christi respicit vocantem, vel eum qui ipsum vocauit, hoc est, Deum Patrem: vt fidelitas cujusque in officio eum respicit à quo vocatus est ad officium quodcunque sic obeundum: Nam illi reddenda ratio est præstiti officij. *Vt & Moses*) Fidelitatem Christi

in officio ſuo illuſtrat ſimilitudine Moſis, ac fidelitatis ipſius: Moſes enim typus quidam fuit Chriſti, & magna fuit ipſius authoritas in Dei populo.

3 *Tantò namque)* Occupatio eſt, ergo eodem loco habes Chriſtum quo Moſes fuit, & Moſi duntaxat parem facis? Reſpondet Apoſtolus, Moſe eſſe digniorem Chriſtum, ac reſponſionem hanc confirmat: Particula enim illa *namque*, præſupponit primùm obiectionem, deinde reſponſionem, quaſi dicat objicienti paritatem illam Chriſti & Moſis: Chriſtus præſtantior eſt Moſe tantò, quantò major eſt is qui conſtruxit domum, quàm domus ipſa: eſt itaque hæc ratio prima cur Chriſtus ampliore gloria præ Moſe dignus ſit habitus, à conditione vtriuſque, & Chriſti, & Moſis. Chriſtus eſt conſtructor domus, & ipſe opifex, Moſes eſt domus, vel pars domus conſtructæ à Chriſto: Has conditiones comparat in impari: Qui conditione ſua impares ſunt, profectò neceſſe eſt eos pariter impares eſſe in gloria: imparibus enim debetur impar gloria. Si lubet, redige rationem in hanc formam. Conſtructor domus & domus ipſa ſunt impares honore & gloria, ſiue majorem habet honorem conſtructor domus, quàm domus ipſa: At Chriſtus eſt qui conſtruxit domum: Moſes eſt domus ipſa, & Chriſti quaſi fabrica:

Ergo

Ergo Christus ampliore gloria prę Moſe dignus eſt habitus. Hujus ſyllogiſmi propoſitio & concluſio, compoſita ſunt in enunciato quod vim habet connexi, aſſumptio vt manifeſta ſubticetur.

4 *Omnis enim domus*) Priorem aſſumptionis partem, nempè eam quæ eſt de Chriſto, confirmat ab ipſo genere. Omnis domus conſtruitur ab aliquo: At Eccleſia eſt domus; Ergo conſtruitur ab aliquo. Ab alio autem quàm à Deo conſtrui non poteſt: hoc enim eſt quod dicit (Porrò qui condidit omnia hæc Deus eſt) Ergo Deus eſt ejus conditor: At Chriſtus eſt Deus, vt vidimus primo capite, Ergo Chriſtus eſt ejus conditor.

5 *Et Moſes*) Altera ratio intellectæ reſponſionis, etiam ab impari conditione Moſis & Chriſti. Moſes in domo Dei fuit fidelis quidem, ſed vt famulus. At Chriſtus vt filius domui ſuę præeſt. Hinc ſequitur ampliore gloria præ Moſe Chriſtum dignum eſſe habitum; ſiue Chriſtum & Moſen impares eſſe in gloria. *Domo ipſius*) hoc eſt, Dei, & quæ ad Deum ſpectat propriè, non ad Moſen: famulus enim non eſt Dominus familiæ: Moſes autem in Eccleſia tantùm famulus fuit: In Eccleſia enim nullum eſt vllius dominium, niſi ſolius Dei & Chriſti, ſed duntaxat famulitium. *Ad teſtificanda*) Vſus famulitij Moſis in domo Dei,

Con-

Constitutus enim fuit famulus ad testificandum, & id quidem obscurè, quæ postea dicenda erant apertè, de Christo ipsiusq; dominio.

6 *At Christus vt*) Apodosis comparationis minorum: Christus domui suę præest vt filius: filius ex aduerso respondet famulo: filij enim & famuli longè alia atque alia conditio est in familia. *Suæ*) hoc quod dicit suę, αὐτῆ, respondet illi quod dictum est de Mose, *ipsius*, αὐτῆ: Nam Christus vt filius & hæres præest domui, non quidem alienę, sed suę.

Cuius domus sumus nos, si fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem vsque firmam tenuerimus.

Cuius domus) Vocabuli domus interpretatio quædam est, & ad nos applicatio quasi dicat: domum Filij intelligo nos omnes credentes. Atque hìc incipit argumentum exhortationis quartum, in hanc formam, Si fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem vsque tenuerimus, hoc est, si tenuerimus professionem, domus Filij sumus. Ergo teneamus professionem. Argumentum est à beata nostra conditione: beatitas enim nostra in eo posita est, vt simus domus Filij. Posteà versu 14. eandem conditionem exprimit verbo μετοχὴ, hoc est, participationis Christi, & communionis cum Christo: μέτοχοι, inquit, γεγόναμεν τοῦ χριστοῦ. *Si fiduciam*) παῤῥησία græcè dicitur, hac voce significatur

ficatur propriè audacia, qua fit vt compareamus coram Tribunali Dei Iudicis. Vide 1. Ioannis 3. 21. Hoc quod sequitur in texu καύχημα gloriatio, effectum est παῤῥησίας & spei: Nam gloriamur sub spe gloriæ Dei. Rom. 5, vers. 2. Porrò his verbis fiducię & gloriationis significatur doctrina illa qua hęc ministrantur: & in his tanquam effectis intelliguntur causæ suæ, fides & spes: παῤῥησία enim est fidei, καύχημα verò spei.

7 *Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodie si vocem eius audieritis,*

8 *Ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis illius, in deserto.*

9 *Vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis.*

10 *Quapropter infensus fui nationi isti: & dixi, semper errant corde, neque cognouerunt vias meas.*

11 *Itaque iurani in ira mea, Si introibunt in requiem meam.*

12 *Videte fratres, nequando sit in vllo vestrûm cor malum & infidele, deficiendo à Deo viuo.*

13 *Sed exhortamini alij alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, nequis ex vobis induretur fraude peccati.*

Quapropter) Conclusio est exhortationis principalis, amplificata simili comparatione ex-

exhortationis illius, qua Spiritus ſanctus jam olim per Dauidem populum Iſraeliticum hortatus eſt. Pſal. 95. 7. Protaſis præcedit quinque verſibus. Apodoſis ſiue redditio ſequitur duobus verſibus ſequentibus. Sententia comparatę concluſionis hęc eſt, quaſi dicat, quamobrem quemadmodum Spiritus ſanctus per Dauidem hortatus eſt aliquando populum Iſraeliticum, ne induraret cor ſuum, ita ego admoneo, nequando ſit in vllo veſtrum cor malum & infidele. *Hodie*) Propoſituo hortationis Spiritus ſancti, ad populum Iſraeliticum.

8 *Sicut in*) Declaratio propoſitionis, per comparationem indurationis ac rebellionis, quæ jam olim fuit populi.

9 *Vbi tentauerunt*) Tentationum ac rebellionum populi in deſerto declaratio & enarratio *Et viderunt*) Exaggeratio facti ipſorum, ex eo quod tot annos Dei opera mirifica in deſerto viderint.

10 *Quapropter*) Narrat iram Dei, propter tentationem populi. *Et dixi*) Iræ ſubjungit comminationem ex ira profectam: in qua primùm habemus cauſam judicij, errorem populi & ignorantiam: deinde judicium ipſum: Iudicium eſt: Non introibunt in requiem meam: confirmatum eſt adhibito jurejurando.

12 *Videte*) Apodoſis ſiue redditio cōparationis, quaſi dicat: ſicut olim dixit Spiritus ſanctus

&c.

&c. ita ego nunc dico vobis, videte fratres ne quando, &c. Dehortatur autem ab apoſtaſia, hortatur verò ad perſeuerantiam. *Cor malum*) Quid ſit cor malum ſequens verbum exponit, eſt enim cor infidele: infidelitas autem cordis defectione à Deo oſtenditur: Nam infidelis eſt, qui deficit à Deo viuo.

14 Chriſti enim participes facti ſumus, ſi modò principium illud quo ſuſtentamur, firmum tenuerimus ad finem vſque:

15 Interim *dum dicitur, Hodie ſi vocem eius audieritis, ne obdurate corda veſtra, vt in exacerbatione.*

16 Nam quidam quum audiſſent, exacerbârunt Dominum: *non omnes tamen ij qui exierant ex Ægypto per Moſen.*

Chriſti enim) Repetitur argumentum exhortationis quartum poſt concluſionem: Nam participatio Chriſti, vel Chriſti participes fieri nihil eſt aliud reipſa, quàm eſſe ejus domus: qui enim domus eſt Chriſti, Chriſtus in ipſo inhabitat. In quo autem Chriſtus habitat, is conjunctus eſt cum Chriſto: quare argumentum eſt à κοινωνία, ſiue communione cum Chriſto. *Principium*) Quid intelligat nomine principij ſubſiſtentiæ, ipſe ſequenti verſu edocet: eſt autem obedientia fidei, in qua habemus ſubſiſtẽtiam quaſi noſtram. Porrò ſenſus eſt: Si firmam tenuerimus profeſsione noſtram Chriſti facti

facti ſumus participes.

15 *Interim dum dicitur*) hoc eſt, quaſi dicat, principiū intelligo illud, quod olim dixit Spiritus ſanctus per Dauidem, hodie ſi vocem &c.

16 *Nam quidam*) Declaratio eſt exacerbationis illius de qua proximè dixit, per occupationem: Objici enim potuit, An omnes exacerbârunt Dominum? Reſpondet à quibuſdam hoc factum, non ab omnibus qui exierant ex Ægypto.

17 *Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? nónne iis qui peccauerant, quorum corpora ceciderunt in deſerto?*

18 *Quibus autem iurauit non ingreſſuros in requiem ſuam, niſi iis qui non obedierant.*

19 *Et videmus non potuiſſe ingredi propter incredulitatem.*

Quibus autem) Sternit ſibi viam ad argumētum exhortationis quintum: ſumptum autem eſt (vt videbimus) ex eo, quod deſtituentur illa requie. Si non retineatis profeſsionem, metuendum eſt ne fruſtremini illa requie, de qua dictum eſt à Dauide: Ergo retinete profeſsionem. Illuſtratum eſt antecedens hoc tribus his poſtremis verſibus capitis tertij. Eſt autem illuſtratio à ſimili exemplo infidelium Iſraelitarum, quod tractatur διαλογισμῷ, interrogatione & reſponſione. Senſus hujus verſus eſt (ſi ornatum rhetoricum rejiciamus) Ira infenſus fuit

Deus

Deus tot annis ijs qui peccauerant, ac proinde eorum corpora in deserto ceciderunt.

18 *Quibus autem*) Sensus est, Iurauit non ingressuros in requiem suam eos Israelitarum qui non obedierant. Summa vtriusque versus huc redit. Illi Israelitarum qui à Deo defecerunt non ingressi sunt in requiem ipsius. Vnde sequitur, & nos, si defecerimus à fide & professione nostra, non ingressuros esse in requiem. Notandum duas has interrogationes, priorem quæ est versu 17. posteriorem quæ est versu 18. respondere duobus verbis quorum mentio fit in testimonio illo Dauidis suprà citato, nempè *Iurauí in ira mea.*

19 *Et videmus*) Confirmatio illorum quæ dixit duobus versibus proximè præcedentibus, ab ipsa experientia & euentu rei: quasi dicat, Re ipsa videmus eorum quæ dicta sunt euentum & experientiam: videmus, inquam, nō potuisse ingredi in requiem Israelitas, propter incredulitatem, juxta illud Dei jusiurandum, quod jurauit in ira sua.

Argumentum Capitis quarti.

HOc capite habemus argumentum exhortationis quintum, ad postremam partem versus tertij. Inde digressio est, ad versum 11. Versu. 11. redit ad principalem conclusionem, cum qua repetit argumentum quintum, ipsumque illustrat ac confirmat, ad versum 14. quo loco ad conclusionem principalem redit, ipsamque repetit, simulque argumentum conclusionis tertium, a Christi pontificatu, ad versum vltimum. Versu denique vltimo repetita est eadem conclusio, & exhortatio, eique adjectum argumentum exhortationis sextum.

CAPVT

CAPVT IV.

METuamus igitur nequando derelicta promissione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.

2 Etenim nobis Euangelizatum est, sicut & illis, at non profuit illis auditus sermo, vt qui fide cõtemperatus non fuerit ipsis qui audierant.

3 Itroimus enim in requiem nos qui credidimus, sicut dixit, itaque iurauí in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam:

(*Metuamus igitur*) Ex simili illo exemplo judiciorum Dei in Israelitas, quod tractatum est tribus versibus postremis capitis tertij, concludit similiter nos, si non retinuerimus professionem, non ingressuros in requiem Domini. Ex quo sequitur instituta exhortatio. Ergo retinete professionem. Obseruatum est suprà istud esse argumentum exhortationis quintum, à priuatione illius cœlestis requietis, de qua Dauid in Psalmo suo locutus est. (*Derelicta*) His verbis infidelitatem circumscribit, Nam infidelitas siue Apostasia & defectio, cernitur in derelictione promissionis Dei de requie æterna. (*Fuisse frustratus*) Nempè promissa illa requie. Qui enim non primùm credit in promissionem beneficij, profectò is non consequitur beneficium, primùm ergo credendum promissioni, vt deinde re promissa fruamur.

2 *Etenim nobis*) Probat conſecutionem præcedentem, quæ fuit à ſimili exemplo judicij Dei in Iſraelitas contumaces, ad ſimilem conditionem futuram eorum qui in regno Chriſti ſunt, ſi ſimiliter atque illi defecerint ab eo. Eſt autem probatio à ſimili beneficij Euangelij communicatioue, ex qua colligitur neceſſario ſimilitudo in judicijs, in hanc formam: Nobis Euangelizatum eſt ſicut & illis: atqui non profuit illis auditus ſermo Euangelij, vt qui increduli fuerint, hoc eſt, non ſunt ingreſsi in requiem illam, neque conſecuti ſunt beneficium in verbo promiſſum: Ergo & nos ſimiliter, ſi increduli fuerimus, nullum fructum ex audito verbo percipiemus. *At non profuit*) Propoſitio anteceſsit in proximis verbis, hæc eſt aſſumptio ſyllogiſmi. *Vt qui*) Ratio aſſumptionis ab incredulitate Iſraelitarum. Auditus ſermo tum permiſceri fidei dicitur, cum fide apprehenditur. Metaphora eſt à potione, quæ propriè admiſceri ſolet. Concluſio ſyllogiſmi non eſt expreſſa. Cæterùm hæc eſt ſyllogiſmi forma, ſi lubet eum breuiùs conficere: Nobis eſt Euangelizatum ſimiliter atque illis. Ergo quemadmodum illi non credentes, non ſunt ingreſsi requiem promiſſam, ita nos quoque deficientes á fide, non introibimus in requiem promiſſam. At Author ſubſumpſit priorem comparationis partem, vt poſteriorem ex ea concluderet,

deret, cùm vtraque pars conclusionis simul nexa concludenda fuerit: est enim probatio sequelæ propositionis compositæ.

3 *Introimus enim.*) Probat quod dixit proximè, nihil profuisse illis auditum sermonem, quòd non crediderint, hoc est, non ingressos fuisse in requiem propter incredulitatem: probat, inquam, ex eo quod ij demùm qui crediderunt, introeunt in requiem, hoc modo. Nos (inquit) qui credimus, & non alij, introimus in requiem: Ergo illi qui non crediderunt, non poterant introire in requiem. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Est argumentum à pari consecutione in contrarijs. *Sicut dixi.*) Requiem hanc de qua loquitur exponit & declarat testimonio illo Dauidis, superiore capite citato, vers. 11. Significat enim se non aliam requiem proximis verbis intelligere, quam illam cujus mentio facta est in illo Dauidis testimonio, quo dictum est, Itaque juraui in ira mea, &c. Hoc igitur loco digressio est ad ostendendum Sabbatismum populo Dei proprium.

----Licet operibus à iactis fundamentis mundi perfectis.

4 *Ita enim dixit quodam in loco de septimo die, Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.*

5 *Et hic rursum, Si introibunt in requiem meã.*

6 Quia igitur reliquum est vt alij introeant in eam, & quibus priùs annunciatum fuit, non introierunt propter incredulitatem.

7 Rursum quendam præfinit diem, Hodie apud Dauidem dicens, tanto post tempore (prout dictum est) Hodie si vocem eius audieritis, ne obdurate corda vestra.

8 Nam si eos Iesus in requie collocasset, nequaquam de alio post hàc die loquutus fuisset.

9 Itaque reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei.

10 Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requieuit & ipse ab operibus suis, quemamodum à suis Deus.

Licet operibus) Hoc adjectum est per occupationem, dici enim potuit, Cum requies illa diei Sabbathini fuerit jam inde à condito mundo, populusque eo die perpetuò requiescere consueuerit: cur dictum est à Domino per Dauidem, Itaque juraui, &c. hoc est, cur jurauit Dominus, excluſurum se populum à requie, quasi non anteà vnquam requieuerit? Huic objectioni occurrit Author, quasi dicat: Iurauit Dominus non ingressurum contumacem populum in requiem suam, licet etiam in Sabbatho requieuit. His verbis habemus periphrasin diei sabbathini, ex ipsius caussa. Caussa autem est à perfectione operum Dei in initio, quum creauit omnia sex diebus,

sep-

ſeptimo autem die requieuit ab operibus ſuis. Ergo ſenſus eſt: Licet opera Dei fuerint perfecta ab initio, ac proinde fuit requies Sabbathi: Nam perfectio operum Dei importat requiem Sabbathi.

4 *Ita enim dixit)* Probat hanc requiem Sabbathi ab illa ſuperiori diuerſam eſſe, ex diuerſis de hac & illa teſtimonijs. Nam de hac requie diei Sabbathini, hoc eſt teſtimonium quod habetur. Gen. 2. 2. De requie autem illa ſuperiori, diuerſum quoddam eſt teſtimonium quod habetur. Pſal. 95. 11. Nempe ſi introibunt, &c. Ex his diuerſis teſtimonijs, innuit diuerſam eſſe requiem diei Sabbathini, ab ea cujus meminit Dauid in Pſalmo ſuo.

6 *Quia igitur)* Ex proximè adducto teſtimonio colligit tanquam conſectarium quoddam, oportuiſſe prefiniri nouum quendam diē quaſi Sabbathi & requietis, diuerſum ab illo die ſiue tempore, quo oblata eſt requies veteri illi ac rebelli populo: hunc vocat hodiernum diem. Colligit autem conſectarium hoc in hunc modum, quaſi dicat, Ex hoc teſtimonio Dauidis ſequitur populum illum veterem & rebellem non ingreſſum eſſe in requiem Domini, cujus meminit Dauid, nam jurejurando ſunt excluſi. Hinc rurſus ſequitur nouum quendam diem præfiniendum fuiſſe. Neceſsitas hujus ſequelæ hæc eſt, Oportuit certè aliquos introire

in requiem illam promissam. Vnde sequitur, quum illi rebelles non introierint, oportuisse nouum diem requietis alijs ingressuris præfiniri. *Hodie si vocem)* Diem hunc, ex verbis Domini apud Dauidem, hodiè vel hodiernum diem nominat. Hodierni diei nomine intelligit totum illud tempus quantumcunque, quo offertur gratia in Christo Iesu. Tempus hoc gratiæ metimur primo Christi aduentu, tanquam termino a quo, & secundo Christi aduentu, tanquam termino ad quem. *Prout dictum)* Repetit testimonium hoc Dauidis, in quo nominatur tempus hoc hodierni diei.

8 *Nam si eos)* Per occupationem docet hunc diem præfinitum non intelligendum esse de illo tempore quo Iesus siue Iehoschua collocauit populum in requie, vel requiescere fecit in terra Canaan: Obijci enim potuit, Annon est hic dies ille dies quo Iehoschua in requie collocauit populum Dei? Respondet, demonstrateque hodiernum hunc diem non intelligendum esse de die illo requietis populi in terra Canaan: Nam post illam populi requiem, Dominus per Dauidem de alio post hac die locutus fuit: Ergo non est hic intelligendus ille dies, quo collocatus est populus, ac requieuit in terra Canaan. Nisi mauis hanc esse hujus loci analysin. Prius docuit, requiem illam de qua locutus est Dominus apud Dauidem, aliam

am atque diuersam esse à requie diei sabbathini, suprà vers. 4. 5. Indè digressio fuit, qua ex testimonio Dauidis, collegit præfinitum esse à Domino quendam nouum requietis diem, imò præfiniri eum oportuisse. Nunc vers. 8. redit ad institutum, docetque illam requiem (de qua apud Dauidem) diuersam esse à requie populi, in terra Canaan. Obijci potuit. Annon illa requies, de requie populi in terra Canaan accipienda est? Responsio negata intelligenda est, cujus hìc ratio est reddita. Argumentum sumptum est ab ipso tempore & die, de quo locutus est Dominus apud Dauidem. Locutus autem est de alio die, quàm illo quo per Iehoschuam populus collocatus est in requie terræ Canaan, & de die illo, qui illam requiem multo post tempore insecutus est. Argumentatio est in hanc formam. Si Iehoschua eos in requie collocasset, siue, quod idem est, Si hæc quę est apud Dauidem requies, ea esset quæ fuit populi in terra Canaan, duce Iehoschua, profectò de alio posthàc tempore non fuisset locutus Dominus. At de alio posthàc tempore ac die locutus est, Ergo hęc requies quę inuenitur apud Dauidem, non intelligenda est de illa populi requie in terra Canaan. (*In requie*) Nempè illa cœlesti ac vera, de qua Dominus apud Dauidem. Hanc κατ' ἐξοχὴν requietis nomine appellat, nam ea demùm vera est requies.

9 *Itaque reliquus)* Conclusio qua infert tùm ex his quæ dicta sunt. vers. 4. 5. tũ ex proximo versu, requiem aliquam populo Dei reliquam esse, & quidem illis verbis Domini apud Dauidem intelligendam. Postquàm enim primũ per occupationem docuit aliam esse illam requiem cujus meminit Dauid, à requie diei sabbathi, deindè docuit aliam esse à terrena illa requie populi in terra Canaan: hoc versu demùm concludit, reliquum esse populo Dei suum quendam sabbatismum, hoc est, requiem, cujus meminit Dominus apud Dauidem. Nota igitur toto hoc loco mentionem fieri triplicis requietis, primò requietis diei sabbati, secundò requietis populi in terra Canaan, tertiò requietis populi Dei in cœlis: Cujus quidẽ postremæ duę illæ priores vmbræ ac figuræ fuerant. Hanc postremam sic collegit ex remotione duarum præcedentium: Dominus apud Dauidem non locutus est de requie diei sabbathi, non locutus est de requie in terra Canaan: Ergo oportet reliquam esse aliquam requiem populo Dei, cujus meminit Dominus apud Dauidem.

10 *Nam qui)* Sabbatismum hunc populo Dei reliquum, ostendit ex sabbatismi quadam definitione hoc modo: Sabbatismus est quo quis requiescit ab operibus suis (illustratur assumptio similitudine requietis & cessationis ipsius Dei) ergo reliquus est populo Dei aliquis sabbatismus

batiſmus, ſiquidem hæc ſit ſabbatiſmi definitio ac ratio, nempè ceſſatio ab operibus. *In requiem ipſius)* Alludit ad verba Domini apud Dauidem, quibus dixit; Si ingreſſuri ſunt in requiquiem meam. Porrò requiem Domini intelligit illam pacem & gloriam Dei immenſam ac ineffabilem, cujus Deus ſuos facit participes. Hactenus igitur digreſsio fuit inde à poſtrema parte verſ. 3. in qua tantùm videtur laborare in exponendo verũ ſenſum illius requietis, cujus fit mentio apud Dauidem. Pſal. 95. 11. Itaq; exclusis duabus acceptionibus non veris ac genuinis, tertiam acceptionem requietis, cujus ibi mentio facta eſt, veram ac genuinam tandem concluſit verſ. 9. Hanc autem indicauit quum dixit, ſabbatiſmum aliquem populo Dei reliquum: His enim verbis ſignificat cœleſtem ac ſpiritualem requiem: Ac ſi dixiſſet, itaq; reliquum, eſt vt nomine requietis (cujus mentio fit apud Dauidem) intelligamus cœleſtem quandam ac ſpiritualem requiem, qua tandem fruetur populus Dei.

11 Studeamus igitur ingredi in illam requiem, nequis in idem incidat contumaciæ exemplum.

12 Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vſque ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumque & medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis.

13 Nec eſt vllares creata quæ non manifeſta

sit in conspectu ipsius: imò omnia sunt *nuda & patentia oculis eius quicum nobis est negotium.*

Studeamus igitur) Conclusio est exhortationis: Porrò eadem est sententia cum illa, quæ fuit primo versu hujus capitis. Sensus enim est, Teneamus professionem nostram: tenendo enim professionem, studemus ingredi in requiem. *Ne quis in*) Cum conclusione repetitur argumentum quintum, illustratum simili exemplo contumacię populi veteris: est autem à Dei judicio, quo frustrabimur ac priuabimur illa æterna requie, ad exemplum illius populi contumacis ac increduli: idem exemplum hoc loco est, idem judicium propter contumaciam.

12 *Viuus est enim*) Probat pœnam contumaciæ, ex efficacia verbi Dei contempti à contumacibus: Primùm autem est efficaciæ verbi diuini propositio: viuus est (inquit) sermo Dei, hoc est (vt verbum sequens exponit) efficax ad vtrumque, siue seruandum, siue perdendum, licet posterius hoc per accidens fiat. Tum proposita verbi efficacia declaratur, primùm comparatè, facta cum gladio ancipiti comparatione: Deinde simpliciter, ex effectis suis. Effecta verbi partìm sunt in animo hominis, partìm in corpore: In animo autem rursùs dupliciter operatur verbum, vel enim operatur in crassiore animi parte, quam ψυχὴν vocant: vel in puriore

in puriore, quam ſpiritum & mentem appellant. Paulus ad Epheſ. 4. 23. ſpiritum mentis vocat. Verbum itaque Dei dicit efficax eſſe ad diuidendum, non modò craſſiorem animi partem, in qua ſunt affectus, ſed etiam puriorem illam mentem ſiue ſpiritum. Effectum verbi diuini in corpore duplex eſt, primùm in exteriori corpore, quod intelligit compagum nomine: Deinde in interiori corpore, quod intelligit medullarum nomine. His verbis igitur ſignificat Author, nihil eſſe in homine, nihil in animo hominis, nihil in corpore hominis, ſiue craſſum, ſiue purum, ſiue externum, ſiue internum, ad quod non pertingat verbum Dei, & quod non diuidat. *Et dijudicat*) Hæc verba adijcit, ad exponendam proximam allegoriam: Nam quod dixit de diuiſione animæ, ſpiritus, compagum, medullarum, illud nunc prcprie effert, dum dicit verbum Dei dijudicare cogitationes, ac conceptiones cordis.

13 *Nec eſt vlla*) Sermonem tranſfert à verbo Dei, ad ipſum verbi Authorem Chriſtum, & à Chriſto ipſiuſque perſpicacia ac prouidentia, & Chriſti quaſi oculis, quos nihil quantumuis abditum & abſconditum poteſt effugere, argumentatur quodam modo ad verbi ipſius efficaciam. Nam ſi oculus ejus omnia penetrat ac peruidet, profectò verbum ipſius efficax

eſſe

esse necesse est.

14 Habentes igitur Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus hãc professionem.

15 Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum: sed tentatum in omnibus similiter, absque peccato.

Habentes igitur) Repetita exhortationis conclusio, vnà cum argumento tertio, à Christi pontificatu, non solùm Pontificem vocat, sed magnum addit. Epitheti hujus occasio arrepta videtur ex loco proximo, in quo prædicta est Christi sapientia ac summa perspicacitas in omnibus rebus peruidendis. Hinc enim non tantùm Pontificem, sed magnum Pontificem prædicat. *Qui penetravit*) Magnum Pontificem ex eo declarat, quod cœlos penetrarit, h. e. cœleste illud sacrarium, cujus typus erat illud terrenum sacrarium, in quod solitus est ingredi Pontifex terrenus. *Iesum Filium*) Pontificem ex nomine suo designat, & ex persona Filij Dei commendat.

15 Non enim) Amplificatio cõclusionis proximę, à Pontificis Christi qualitate siue conditione, nempè συμπαθείᾳ, quod afficiatur sensu infirmitatum nostrarum: hoc autem innuit quum dicit, tentatum eum in omnibus similiter absq; peccato. In antecedente enim causa consequẽs effectum intelligendum est. Illustrata autem

est

ſt hæc Chriſti συμπαθεια, per remotionē contrarię ἀπαθειας quaſi dicat, non eſt ἀπαθὴς, ſed συμπαθὴς.

16 Accedamus igitur cum fiducia ad Thronū gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & gratiam inueniamus ad oportunum auxilium.

Accedamus igitur) Poſt amplificationem repetita eſt concluſio principalis, alia quidem verbis à ſuperiori, ſed reipſa eadem. Nomen fiduciæ vſurpatum eſt ſuprà cap. 3. verſ. 6. vbi concluſit & dixit, Si fiduciam & ſpem illam de qua gloriamur, ad finem vſq; firmam tenuerimus. Eodem ſenſu concludit nunc, accedendum eſſe cum fiducia ad thronum gratiæ: Nam tenere firmam fiduciam, & accedere cum fiducia ad thronum gratiæ, idem ſunt reipſa. *Vt conſequamur*) Suadet acceſſum hunc ad thronum gratiæ, ab vſu & fructu ſuo: ita enim fiet vt miſericordiā & gratiam conſequamur, à throno enim gratię proficiſci gratiam oportet, & ad eum peruenire, qui ad thronum gratiæ accedit. Eſtque hoc argumentum exhortationis ſextum à Dei gratia & miſericordia.

Argumentum Capitis quinti.

HOc capite primum eſt digreſſio ab inſtituta exhortatione in confirmationem Pontificatus Chriſti in genere, ad verſum vſq. 11. quo loco proponit de Melchiſedeco dicendum: Idque in eum finem, vt conſpiciatur Chriſtum eſſe pōtificem ſecundum ordinem Melchiſedec. Quare vt ſuperiore capitis parte probauit Chriſtum Pontificem eſſe in genere: Ita verſu 11. aggreditur ad demonſtrādum Chriſtum Pontificem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedec, hoc eſt, certum quendam ordinem Pontificatus Chriſti.

verſu 12.

versu 12. a proposita illa de Melchisedec doctrina digreditur in reprehensionem segnitiei & rudditatis Hebræorum, ad quos scribit, ad finem v. que capitis.

CAPVT V.

NAm omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in ys quæ apud Deum agenda sunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis:

2 Qui quantum satis est possit miserari vicem ignorantium & aberrantium: quòd & ipse circundatus sit infirmitate:

3 Et propter hanc debeat, sicut pro populo, ita & pro seipso offerre victimam pro peccatis.

4 Neque sibipsi quisquam sumit hunc honorẽ, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron.

5 Ita & Christus non sibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, sedis qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

6 Sicut & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.

7 Qui in diebus carnis suæ, yuum deprecationes & supplicationes apud eum qui poterat ipsum seruare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulisset, & exauditus esset ex metu.

8 Quamuis filius esset, tamen ex ys quæ passus est didicit obedientiam.

9 Et consecratus, factus est Author salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant:

10 Cognominatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.

Nam

Nam omnis) Digreditur in declarationem Pontificatus Christi. Primùm autem probat eum Pontificem esse in genere, instituta comparatione cum veteribus illis Pontificibus. Particula *Nam*, referri debet ad versum 14. capitis superioris: Docet enim Christum verè Pontificem esse: quod fuit argumentum exhortationis tertium, repetitum vers. 14. superioris capitis. Et sensus est quasi dicat: Quod dixi eum Pontificem esse, id apparet verum ex comparatione Christi cum Legali Pontifice. Introducitur autem hæc ratio per occupationem. Quæri enim potuit, An meritò Christum Pontificem dixerit illo versu citato? Nunc itaque probat per comparationem factam cum Legali Pontifice, Christum Pontificem esse. Est autem comparatio in tribus, quæ primùm proposita sunt in Legali Pontifice, primis quatuor versibus. Deinde accommodantur ad Christum, ad versum vsque 11. Hoc itaque versu est prima proprietas Pontificis in genere. Pontifex omnis ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in ijs, quę apud Deum sunt agenda. *Vt offerat*) Finis est Pontificis assumpti & constituti, nempè oblatio donariorum & victimarum pro peccatis, hoc est, omnis oblatio in genere rerum quarumcunque, siue vitæ expertium, vt erant donaria: siue viuentium, vt erant victimæ.

2 *Qui*

2 *Qui quantum ſatis)* Secunda proprietas Pontificis in genere, in qua fit comparatio: Eſt autem συμπαθεια, qua afficitur ſenſu miſeriæ ignorantium & aberrantium: *Quod & ipſe)* Sympathiæ ratio petita à ſimili infirmitate ipſius Pontificis, qua tanquam veſte circundatus eſt & circumſeptus, hoc eſt, omni ex parte obnoxius eſt iiſdem naturæ incommodis ac vitijs (*Et ipſe*) Particula (*Et*) notat vel ſimilitudinem, vel paritatem, quaſi dicat, quod pariter ipſe.

3 *Et propter)* Infirmitatem Pontificis parem arguit, ex eo quod pariter pro peccatis populi & ſuiipſius, debeat victimam offerre.

4 *Neque ſibijpſi)* Tertia proprietas Pontificis, in qua fit comparatio cum Chriſto Pontifice: Eſt autem vocatio Dei, quòd non ſumat ſibijpſi hunc honorem, ſed ad eum vocatus eſt à Deo. Illuſtratum eſt ſpeciali exemplo Aaronis qui à Deo vocatus eſt.

5 *Ita & Chriſtus)* Hactenùs fuit comparationis protaſis, ſiue propoſitio, continens tres proprietates, in quibus fit comparatio: Sequitur nunc apodoſis redditio ſiue accommodatio ſimilitudinis. Accommodantur enim & applicãtur Chriſto ſuperiores proprietates Pontificis, ſed καθ' ὑστερησιν Primum enim applicatur tertia & vltima Pontificis proprietas. Chriſtus vocatus eſt a Deo Patre. *Sed is qui)* Periphraſis eſt Dei Patris, quaſi dicat: Sed Deus

Pater

Pater tribuit ei hunc honorem. Confirmat autem attributum à Patre hunc honorem, duobus teſtimonijs, priore ex Pſalmo 2. 7. poſteriore ex Pſal. 110. 4.

7 *Qui in diebus*) Applicat ad Chriſtum ſecundam Pontificis proprietatem, nempe ſenſum infirmitatum noſtrarum, & συμπαθειαν: hanc enim videtur innuere, dum dicit; Filium in diebus carnis ſuæ ex ijs quę paſſus eſt didiciſſe obedientiam. Nam ex cauſſa intelligi poteſt effectum: paſsio autem Chriſti cauſſa eſt, ſenſus verò infirmitatum noſtrarum effectum eſt. *In diebus carnis*) Hoc eſt, in tempore infirmitatis ſuæ. Nam Chriſtus crucifixus fuit ex infirmitate. 2. Cor. 3. 14. Carnis ergo nomine metonymicòs infirmitatem intelligit. *Quum deprecationes*) Hìc videtur inſerta quædam definitio dierum carnis, ſiue temporis infirmitatis Chriſti. Sumpta eſt autem partim ex deprecationibus & ſupplicationibus, cum clamore valido, & lachrymis Patri ſuo oblatis, partim ex effecto deprecationum & ſupplicationum, nempe deprecationum acceptatione. *Qui poterat*) Periphraſis eſt Dei Patris, qua etiam deſignatur fundamentum ſuper quo exſtructæ ſunt quaſi preces Chriſti, & fides per quam precatus eſt: nempè Dei Patris omnipotentia, qua potuit ipſum à morte ſeruare. Hac Dei potentia nitębatur fides Abra-

hami, quo tempore ſub ſpe contra ſpem credidit. Rom. 4. 21. *Cum clamore*) Modus eſt ac geſtus precantis, quo ſignificantur preces intenſiſsimæ, & quàm maximè ſeriæ ac vehementes. Sic dicitur Chriſtus precatus eſſe quũ in horto eſſet, cum ſudore, qui erat quaſi grumi ſanguinis in terram diſcendentes. Luc. 22. 44. *Et exauditus*) Hoc eſt effectum deprecationum Chriſti, quo ſignificatur Chriſtum exauditum à Patre, & liberatum ab illo metu, quem habuit ex horroribus qui magis magiſq; impendebant. Neque enim tantùm pertubatus fuit dum eſſet in horto, præſenti ſenſu diuinæ iræ in noſtra peccata, ſed etiam grauiſsimo metu iræ futuræ. De hac liberatione Chriſti leges nonnihil apud Lucam 22. 42. 43. vbi (poſtquàm dixit Chriſtus, Pater ſi vis, transfer poculum hoc à me) habemus viſum eſſe ipſi Angelum è cœlo corroborantem eum.

8 *Quamuis Filius*) Hactenùs definitio fuit dierum carnis in parentheſi quadam, qua interpellata eſt juſta ſententia. Nam hæc conjungenda ſunt cum ijs, quæ dicta ſunt principio verſus precedentis, in hunc modum: Qui in diebus carnis ſuæ quamuis Filius eſſet &c. Porrò his verbis eſt paſsionis Chriſti amplificatio, à perſona Filij Dei. *Didicit*) Hoc eſt effectum paſsionis. Senſus eſt: Reipſa expertus eſt quid ſit obedire Deo & irato Patri

propter

propter peccata noſtra: nimirum expertus eſt non ſatisfieri offenſo Deo, niſi, vt Paulus loquitur (Philip. 2. 8.) obedientia quæ eſt ad mortem vſque, & eam quidem ignominioſiſsimam & maximè execrabilem, vtpote crucis mortem. Didicit quidem hoc Filius, ſed non inuitus, verùm ſumma voluntate: ſecus obedientia Filij non fuiſſet pro peccatis noſtris ſatisfactio. Quare Galat. 1. 4. dicitur Filius dediſſe ſemetipſum pro peccatis noſtris.

9 Et conſecratus) Paſsionem illam Chriſti ac obedientiam commendat ex effectu ſuo: Hinc enim factus eſt Chriſtus Author ſalutis æternæ, non tantùm (vt dicit Apoſtolus ad Philip. 2. 9. (obedientiam ipſius ſecuta eſt exaltatio in ſummam ſublimitatem, ſed etiam ſalus noſtra æterna. Porro conſecratio hæc (interprete ipſo Apoſtolo ſupra 2. 10.) per afflictiones, adeòque per mortem ipſam fuit. Nam Chriſtus per crucem & mortem conſecratus fuit ad munus illud ſacerdotale, & ad hoc vt Princeps & Author euaderet ſalutis noſtræ. *Omnibus qui)* Notanda eſt vniuerſi generis reſtrictio. Chriſtus quidem factus eſt Seruator omnibus, ſed cum hac reſtrictione, credentibus. Atque hæc ipſa fidei reſtrictio intelligenda eſt in generalibus illis ſententijs quæ paſsim occurrunt in Euangelio: vt cum dicitur, omnibus promitti vitam æternam, intellige

credentibus.

10 *Cognominatus à Deo*) Probat salutis Authorem factum Christum, à cognomine illo Pontificis diuinitùs ipsi attributo. Confirmatio igitur est à Dei ipsius testimonio. *Secundum ordinem*) Restringit Pontificatum Christi ad certam speciem, siue certum ordinem: nempè non quidem Aaronis, sed Melchisedeci: quo significat cognominatum Christum Pontificem, non temporarium, sed æternum.

11 *De quo nobis multa sunt dicenda, eaque difficilia explicatu: quandoquidem segnes facti estis auribus.*

De quo nobis) Hactenus comparatione Christi Pontificis cum Pontifice Legali docuit Pontificem esse Christum. Comparatio fuit in tribus proprietatibus quæ in Pontifice omni requiruntur. Ex his duas tantùm in apodosi comparationis Christo applicauit: Primam enim proprietatem, nempe quòd ex hominibus assumitur omnis Pontifex, non applicatam Christo reliquit, vt quæ satis de ipso intelligi possit. Nam de hoc non ambigitur, Christum ex hominibus assumptum, & pro hominibus constitutum esse. Nunc, vt suprà ostendit Pontificem esse Christum, docet Pontificem esse secundum ordinem Melchisedeci, hoc est, ostendit Pontificatus ipsius speciem. Primùm proponit de Melchisedeco dicenda multa, &

ea

ea quidem difficilia: Eò pertinent nimirùm hæc quæ dicuntur de Melchiſedeco omnia, vt meliùs conſpiciatur Chriſtum Pontificem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedeci. *Quandoquidem ſegnes*) Ratio eſt cur proponit de Melchiſedeco dicendum. Eſt autem ab Hebræorum ad quos ſcribit ſegnitie & ruditate. Atque hìc, etſi propoſuerit de Melchiſedeco dicendum, tamen tranſitum ſibi facit ad reprehenſionem Hebræorum, quam proſequitur ab hoc loco ad caput vſque ſeptimum. Quare neceſſe eſt dicamus Apoſtolum ab inſtituto ſuo digredi, abductum quidem culpa, nempè ignauia & ruditate ipſorum Hebræorum.

12 Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores eſſe, rurſum opus eſt doceri quæ ſint elementa initij eloquiorum Dei: factique eſtis ij quibus lacte ſit opus, & non ſolido cibo.

13 Enimuerò qui cum lacte res eſt, is rudis eſt ſermonis iuſtitiæ: (infans enim eſt)

14 Sed adultorum eſt ſolidus cibus, eorum videlicet *qui propter habitum, ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni ac mali.*

Vos enim) Propoſita eſt ſegnities eorum in proxima ratione. His autem verbis eſt propoſitionis illius argumentum, à genere doctrinæ quo ipſis eſt opus, nempè elementari, & catechetica ſiue puerili. *Quos oportuit*)

Exaggerat neceſsitatem hanc doctrinæ elementaris, qua ipſis opus eſt, ex eo quod pro temporis ratione oportuit eſſe, hoc eſt, ex eaipſorum conditione, quam tempus tam diuturnũ poſtulabat, nempè vt doctores eſſent, non autem diſcipuli erudiendi in ipſis primis elementis Religionis Chriſtianę. *Factique eſt.*) Illuſtrat rationem propoſitionis, quam exaggerauit definitione & interpretatione quadam: Niſi mauis rationem hìc reddi cur ſit ijs opus elementari doctrina, ab ipſorum conditione, nempè infantia. Nam his verbis eſt infantis periphraſis. Infans enim eſt cui lacte eſt opus, & non ſolido cibo.

13 *Enimuerò cui*) Probat infantiam eorum & ruditatem definitione quadam infantis: Infans eſt, cui res eſt cum lacte. Vobis opus eſt lacte, Ergo vos eſtis infantes *Is rudis*) Dicendum fuiſſe videtur, Is infans eſt. Sed infantiæ effectum poſuit, nempè ruditatem, pro ipſa infantia, ac ſi dixiſſet, Infans eſt, ac proinde rudis. Sed hanc ruditatem applicauit non ad eos qui re vera infantes ſunt, ſed ad Hebręos qui in religione quodam modo infantes erant, dixitq; *rudis eſt ſermonis inſtitutæ.*

14 *Sed adultorum*) Illuſtratio proximæ propoſitionis & rationis, à contraria definitione adulti, quaſi dicat, Adulti ſunt contrà quibus res eſt cum ſolido cibo. *Eorum videlicet*) Definitionis

finitionis proximiæ quasi definitio quædam est, ac si dicat, dum dico adultos esse quibus opus est solido cibo, nihil aliud volo, quàm adultos esse eos qui propter habitum sensus habent exercitatos. Adulti igitur sunt, primùm qui habent habitum crebra exercitatione comparatum, deinde qui beneficio habitus habent sensus (hoc est, facultates animi) expeditos ad judicandum de bono & malo, habitus enim expeditam facultatem in agendo significat.

Argumentum Capitis sexti.

HOc toto capite digressio est ab eo, de quo dicendum instituit vers. 11. Cap. 5. nempè de Melchisedeco. Inchoata autem digressio fuit, capitis 5. vers. 12. In hac digressione quæ est hoc capite, argumenti magna est varietas. Primum exhortatio est tribus primis versibus, ad hoc vt ferantur ad perfectionem: confirmata graui denunciatione in Apostatas, ad versum vsque nonum. Tum correctio & mitigatio quædam est illius denunciationis, inde ad vers. 11. Hinc sequitur specialis quædam exhortatio ad perseuerandum in charitate & bonis operibus, ad alteram vsque partem vers 12. Vbi per occasionem redit ad principalem exhortationem, quæ est ad perseueranciam in fide, eiusque argumentum adducit septimum, in quo amplificando persistit, ad versum vsque 18 eiusque partem alteram, vbi ex nouo & octauo argumento principalem concludit denuo exhortationem. Versu denique 19. discedit a principali exhortatione, paulatimque transit ad id quod dicendum de Melchisedeco proposuit cap. 5. vers. 11.

CAPVT VI.

QVapropter omisso qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionem feramur: non iacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis & fidei in Deum.

2 Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositi-

uis, & resurrectionis mortuorũ, & iudicij æterni.

3 Atq; id faciemus, si quidem permiserit Deus.

4 Impossibile est enim eos qui semel fuerint illustrati, gustauerintque donum cœleste, & participes facti fuerint Spiritus sancti,

5 Gustauerintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi:

6 Si prolabantur, denuò renouari ad resipiscentiam, vt qui rursum crucifigant sibimetipsis filium Dei, & ad ignominiam exponant.

7 Nam terra quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam iis per quos excolitur, recipit benedictionem à Deo.

8 At quæ profert spinas & tribulos, reproba est & maledictione proxima: cuius exitus tendit *ad exustionem.*

Quapropter omisso) Pergit in digressione cœpta in fine superioris capitis. Atque vt superiùs reprehendit ipsorum ruditatem & infantiam: Ita hìc hortatur ad hoc vt ferantur ad perfectionem, hoc est, ad perfectam de Christo doctrinam. Propositio exhortationis est his verbis, in prima parte hujus versus: Cujus sensus est. Omissis rudimentis Religionis Christianæ, feramini ad doctrinam perfectiorem. *Non iacientes*) Declaratio est illius doctrinę, quam dixit rudes in Christo inchoare, h. e. doctrinę elementaris, est autem ex partibus

bus illius doctrinæ. Sunt autem partes doctrinę elementaris & fundamentalis, 1. Doctrina resipiscentiæ ab operibus mortuis. 2. Doctrina fidei in Deū. 3. Doctrina baptismatum. 4. Doctrina impositionis manuū. 5. Doctrina resurrectionis mortuorum. 6. Doctrina judicij ęterni. Hę enim atq; aliæ ejusmodi sunt partes doctrinę elemētaris ac catecheticæ. Ex his colligere licet, tēpore Apostolorū fuisse catechistas ac κατηχουμενους, deniq; catecheticam doctrinam.

3 *Atque id faciemus*) Hoc est, feremur ad perfectionem, non jacientes rursum fundamentū &c. si Deo ita fuerit visum, sine cujus voluntate ac nutu nihil possumus. Ergo hoc versu propositam exhortationem quodāmodò corrigit, ac restringit diuina permissione.

4 *Nam fieri*) Argumentum est exhortationis, à grauissimo Dei judicio in eos, qui postquàm instructi sunt sermone illo qui in Christo rudes inchoat, non feruntur ad perfectionem, sed prolabuntur: h.e. (vt vno verbo dicam) in Apostatas: Est autem judiciū aduersus istos denunciatum, resipiscentiæ (vt sic dicam) impossibilitas. Conditionem istorū, quę antecedit ἀποστασιαν his partibus explicat. *Qui semel fuerint*) Prima pars conditionis est mentis illuminatio. *Gustauerintque*) Secunda pars est cordis quidam gustus ac sensus, sed superficiarius duntaxat. *Et participes*) Tertia pars est participatio

ipsius

ipſius Spiritus ſancti, qui eſt author & effector præcedentium partium ac beneficiorum Dei. *Guſtauerintque)* Quarta pars eſt participatio cauſæ inſtrumentalis præcedentium beneficiorum. Eſt autem Dei verbum, per quod Spiritus ſanctus operatur, & mentis illuminationem, & cordis ſenſum. *Ac virtutes)* Quinta pars: deguſtatio quædam virtutum, & (vt ſic dicam) potentiarum, quas in futuro ſeculo plenè percipiemus. Significat autem inchoationem futuræ beatitatis per guſtum quendam virtutum futuri ſeculi. Nam & Apoſtatę deguſtant illam vitam beatam ante apoſtaſiam, verùm (vt ſic dicam) ſuperficialiter. Guſtus enim hic atque ſenſus non eſt in profundo, aut in imo cordis, ſed tantùm (vt ſic dicam) in ſumma cute ac ſuperficie. Nam verbum Dei ſiue verbi ſemen quod committitur cordibus Apoſtatarum, & hypocritarum, comparatur ſemini quod cadit inter ſeminandum in petroſa loca, quæ non habent multam terram, verùm terræ quandam ſuperficiem, cui ſubeſt petra. Semen quod cadit in loca petroſa, exoritur quidem ſtatim, ac emergit ſupra terram, quia non agit radices deorſum: Sole autem exorto, ſubitanea illa herba exareſcit: ita ſemen verbi quod cadit in cor Apoſtatæ, quaſi petroſum, & ſuperficiariam duntaxat terram habens, exoritur, ac ſtatim quidem exoritur, verùm illa quaſi

ſeges & herba ſtatim exareſcet, quia non egit radices penitus in profundo cordis, & ager cordis non eſt bonus & honeſtus.

6 *Si prolabantur*, Hæc eſt altera pars deſcriptionis Apoſtatarum, ab eorum lapſu ac defectione, vnde & Apoſtatæ nominantur: Nam hoc loco poſita eſt pro Apoſtatis ipſorum deſcriptio: primum a conditione eorum ante lapſum, quæ quatuor vel quinque partibus explicata fuit. Deinde à lapſu ipſo. *Vt denuo*) Hoc eſt judicium in Apoſtatas denunciatum, finalis (vt vocant) impœnitentia: Nam Deus peccatum in Spiritum ſanctum, cujuſmodi eſt Apoſtatarum, ſpecialiter plectit finali hac impœnitentia. *Vt qui rurſum*) Ratio finalis impœnitentiæ, vel impoſsibilitatis reſipiſcentiæ, ab ipſorum facto: rurſum (inquit) crucifigunt ſibimetipſis Filium Dei: Tum hoc quid ſibi velit, verbis ſequentibus exponitur: ad ignominiam eum exponunt. Eodem ſenſu Heb. 10 29. dicit eos conculcare Filium Dei, & ſanguinem fœderis (per quem fuerant ſanctificati) prophanum ducere: quo quidem facto non minus ignominiæ exponitur Chriſtus, quàm expoſitus eſt ignominiæ quùm à Iudeis eſt crucifixus.

7 *Nam terra*) Iudicium hoc denunciatum illuſtrat ſimilitudine terræ, quæ cùm ſæpius imbrem in ſe venientem combiberit, attamen

nihil

nihil profert præter ſpinas & tribulos: quemadmodum, inquit, hujuſmodi terra reproba eſt, & maledictioni affinis; Ita Apoſtatæ qui jam ſæpiùs imbrem verbi diuini in ſe venientem combiberunt, & tamen nullum fructum bonum proferunt, ſed prolabuntur, reprobi ſunt & maledictioni affines, h. e. deſperata eſt eorum conuerſio & ſalus. Iudicium in terram reprobam illuſtratur diſſimili benedictione terræ bonæ, quæ progenerat herbam accommodam ijs à quibus excolitur. Protaſis diſſimilitudinis eſt verſ. 7. Apodoſis de terra reproba eſt verſu ſequenti.

8 *At quæ profert*) Nempe poſtquam imbrem ſæpiùs in ſe venientem combiberit. *Cuius exitus*) Declaratio maledictionis, cujus proximè meminit. Nam in eo ſita eſt maledictio terræ ſterilis & infructuoſæ, vt tandem comburatur.

9 *Sed perſuaſimus nobis de vobis, dilecti, iſtis meliora, & cum ſalute coniuncta, etiamſi ita loquamur.*

10 *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & laborioſæ charitatis quam exhibuiſtis ipſius nomini, vt qui miniſtraueritis ſanctis & miniſtretis.*

Sed perſuaſimus) Secunda pars capitis. Correctio & mitigatio quædam proximi judicij aduerſus Apoſtatas denunciati, per occupationis

tionis quandam ſpeciem. Hebræi enim ad quos ſcribit hæc quæ dixit in Apoſtatas in ſe dicta accipere potuerunt. Ideò Apoſtolus tempeſtiuè occurrit, dicitque; etiamſi ita loquamur, nempè de Apoſtatis, tamen perſuaſimus nobis de vobis meliora &c. Nota ſemper occurrendum eſſe piorum offenſioni, quoties aliquid quod grauius eſt denunciatur in impios. *Et cum ſalute*) Quæ proximè dixit meliora, ea definit quodammodò, vocatque cum ſalute conjuncta, vel ad ſalutem pertinentia, nam ea demùm verè bona ſunt quæ ſalutem afferunt.

10 *Non enim iniuſtus*) Argumentum eſt perſuaſionis illius (quam dixit) Apoſtoli, ab operibus eorum bonis. Ac ſi ſic argumentaretur: Opera veſtra bona ſunt: Ergo perſuaſimus nobis de vobis meliora. Nam opera bona confirmant, & nobiſipſis, & alijs qui opera bona noſtra intuentur, Dei gratiam erga nos, ac ſalutem noſtram. Philip. 1. 6. Perſuaſum habens hoc ipſum fore, vt qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiat vſq; ad diem Ieſu Chriſti. *Et laboroſæ*) Definitio quædam eſt operis eorũ cujus meminit: definit autẽ illud ex charitate, tanquã fonte & principio ſuo; & Dei nomine ſiue gloria, tanquã fine ſuo. Nam illud demùm eſt opus verè bonum, quod profectũ à charitate cordis interna, dirigitur in gloriam nominis Dei. *vt qui*

minis-

ministrauerit is) Nunc adducit in medium spe-
ciale illud opus eorum ex charitate profectum
& exhibitum Dei nomini. Est autem quod
ministrauerint sanctis; atque etiamnum ijs mi-
nistrant. Nam quum bonum opus dicatur fieri
erga omnes, tum maximè id meretur boni o-
peris nomen, quod fit erga sanctos, hoc est, do-
mesticos fidei. Dum tempus habemus, simus
benefici erga omnes, maximè vero erga do-
mesticos fidei. Galat. 6. 10. Ministerium ho-
eorum non tantum præteritum dicit, sed etiam
præsens. Perseuerantiam itaque innuit in bene
agendo. Ergo tùm maximè persuademus nobis
benè fore bonis, quum videmus eos in bonis
perseuerare, non tantùm benè cœpisse. *Nam*
enim iniustus) Ratio est cur sequatur ex ope-
ribus eorum bonis, bona eorum conditio in
posterùm futura, quam ipse sibi persuasam
esse dixit: Est autem sumpta a justa Dei natura.
Deus justus est. Ergo quum vos sitis benè o-
perati, persuadeo mihi Deum daturum vobis
istis meliora, & cum salute conjuncta. Iustitiæ
hęc Dei distributiua est, vt vocant, de qua lege
Rom. 2. 6. & deinceps & 2. Thes. 1. 6. 7. No-
ta principium ac fundamentum primum om-
nis boni quod ad nos vsque peruenit, esse in
ipsius Dei natura justa, veraci, potenti, sapien-
ti, misericordi &c. Quoties ergo analysis siue
resolutio alicujus boni fit in suas causas, non

prin-

priùs conquiescendum est, quàm veniatur ad primam illam & summam causam, Dei ipsius naturam: Et fides, ac persuasio nostra (vt videre est hoc ipso loco) vt sit firma & stabilis, necesse est nitatur Dei naturę tanquàm primo suo fundamento. Quamobrem ad hoc vt sit fides in nobis solida ac firma, ante omnia debemus scrutari beneficio Spiritus ipsius Dei profunditates, vt deprehendamus aliquousq; naturam illam infinitam, & incomprehensibilem. Obijci potest: videtur hoc loco meritum operum posse colligi: Nam, inquit, Deus esset injustus si non compensaret bona opera; quare sequitur Deum obligatum esse ad compensandum bona opera, nisi malit justitiæ suæ renunciare: vbi autem obligatio sive debitum, ibi meritum est, quamobrem bona opera nostra merentur. Respondeo paucis: Dei justitia quidem postulat vt bona opera Spiritus Sancti (nam de his loquitur) compensentur: sed hoc fit non ratione ipsorum operum, etiam sanctissimorum, cùm in ijs perpetuò sit aliqua imperfectio, sed ratione meriti Christi fide apprehensi à persona ea quę benè operata est. Quoties ergò legimus in Scriptura de mercede sive compensatione, vel bonorum operum personę, vel personę ipsius quæ benè operatur, toties in mentem nobis venire debet Christus, ipsiusque meritum, ad quod mercedis sive com-

compensationis nomen propriè est relatum. Nam eæ omnes impropriæ locutiones sunt, in quibus merces vitę ęternæ, vel omninò gratia Dei refertur, vel ad opera personę, vel ad personam ipsam operantem. In his enim omnibus Metonymia aliqua est, qua ex effectis causa significatur.

11 Cupimus autem vt vnusquisque vestrûm idem ostendat studium ad plenam spei persuasionem ad finem vsquè.

12 Vt ne sitis segnes:

Cupimus autem) Tertia pars capitis: arrepta occasione ex proximo loco, adhortatur ad perseuerantiam in bonis operibus, siue studium bonorum operum: simulque dehortatur à segnitie, quę contraria est studio bonorum operum. Non tantùm omnes promiscuè adhortatur ad illud studium, sed sigillatim singulos. Durationem hujus studij dicit esse oportere ad finem vsquè. Non enim coronatur nisi qui perseuerauerit ad finem. Effectum hujus studij tradit πληροφορίαν spei: Certitudo enim spei nostræ, qua speramus assecuturos nos vitam æternam, confirmatur nobis hoc ipso, quod sentimus in nobis studium bonorum operum. Vnde 2. Pet. 1. 10. Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere, hęc enim si feceritis nunquam impingetis. Non prętereundum est silentio quod studium dicat, nempè

nempè bonorum operum, non nudè bona opera, quo verbo innuit non valere opus, alioquì in se bonum, nisi ex serio aliquo studio, & animi proposito existat. Velle enim prius esse debet, quàm perficere; & Deus dat suis priùs velle quam perficere. Deus enim is est qui efficit in vobis, & vt velitis; & vt efficiatis Philipp. 2. vers. 13.

12 *Vt ne sitis*) Hic dehortatur à segnitie, quæ studio bonorum operum contraria est.

---- *Sed imitatores eorum qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hæreditatem.*

13 Deus enim pollicitus Abrahæ, quum non posset per quenquam maiorem iurare, iurauit per seipsum:

14 Dicens, Certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.

15 Atque ita quum patienter expectasset, assequutus est promissum.

16 Nam homines quidem per eum iurant qui sit maior, atque ijsdem omnis controuersiæ finis est iusiurandum ad confirmationem adhibitum.

17 Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando.

18 Vt per duas res immutabiles in quibus fieri non potest vt mentitus sit Deus, validam consolationẽ habeamus nos, *qui cursum eò corripuimus vt*

ſpem propoſitam obtineamus.

Sed imitatores eorum) Hæc quarta pars eſt capitis: in qua videtur redire ad principalem concluſionem ſiue exhortationem, qua hortatur ad perſeuerantiam in fide. Nam dum patientiam cum fide conjungit perſeuerantiam in fide ſubindicat, ſiue fidem quæ manet duratque ſub omni tentatione & afflictione. Nam græcum verbum eſt μακροθυμία, quod idem eſt quod ὑπομόνη. Argumentum quo hortatur ad fidem & patientiam, ſumptum eſt ab exemplo veterum, & piorum patrum. Eſt autem hoc argumentum principalis exhortationis ſeptimum. *Obtinent)* Commendatio eſt exempli ſiue facti Patrum, hoc eſt, fidei & patientiæ eorum, à fructu illo fidei & patientiæ ſuæ, quem tandem perceperunt. Commendatio hęc ideò addita eſt, vt exemplum Patrum Hebræos magis moueat. Promiſſam hæreditatem vocat, quia priùs eſt verbo promiſſa quàm reipſa data: idque ideò vt prius ipſi glorificarent Deum, credendo in verbum promiſsionis ipſius, quam rem promiſſam acciperent, mitterenturq; in ejus poſſeſſionem.

13 *Deus enim pollicitus)* Tranſitio eſt ad ſpeciale exemplum Abrahæ, & fidei ac patientiæ ipſius, quo quidem exemplo Abrahæ ſpeciali illuſtrat quod in genere dictum eſt de fide ac patientia veterum ac piorum Patrum. Hoc itaque

itaque versu proponit Deum pollicitum fuisse Abrahæ, adhibito jurejurando, atque eo quidem facto, non per alium, sed per seipsum. *Quũ non posset*) Ratio cur Deus per seipsum juraverit ἀπὸ τῦ ἀδυνατῦ; ab impossibili, quia non potuit per quenquam majorem jurare. Quoties enim Iurisiurandi necessitas est, per maiorem jurandum est, si modò sit major aliquis, non autem per parem vel inferiorem. At Deo, quum non sit major, necesse est jurare per seipsum. Caussa autem cur per majorem jurandum est, si modò major aliquis sit, hæc est: quia oportet major sit ejus authoritas, quem testem & vindicem appellamus dum juramus, quàm est nostra ipsorum qui juramus, hoc est, oportet ejus fides ac veracitas indubitata sit, & is sit oportet quo nititur omnis veritas.

14 *Dicens certè*, Postquàm proposuit Deum, cùm pollicitus est Abrahę, jurasse per seipsum, promissionem illam Dei jurejurando cõfirmatam in medium affert: Verba hæc petita sunt ex Genes. cap. 22. vers. 17. verba quidem (fateor) non habent expressum aliquod Dei jusjurandum: verum ex versu prędcedente in quo dictum est, Deum per seipsum jurasse, constat fuisse ipsius aliquod jusjurandum. Apostolus fortasse hoc Dei jusjurandum isto loco expresit per particulam ἢ μὴν hoc est, juxta phrasin Hebraicam, cumulatissimè be-

nedicam. His autem verbis promiſsio ſeminis illius benedicti, h. e. capitis Chriſti, Abrahamo eſt facta.

15 *Atque ita cum)* Hìc habemus ſpeciale illud exemplum fidei & patientiæ Abrahæ: Ac ſi dixiſſet, Abraham ex ſanctis Patribus vnus, patienter credidit & expectauit promiſsionis Dei complementum. *Aſſecutus eſt)* Hæc eſt commendatio ſpei & patientiæ Abrahami, ex euentu ſiue effectu ſuo, nempè promiſsionis complemento, cujuſmodi commendatio fuit ſupra verſ. 12.

16 *Nam homines)* Redit ad Dei illam promiſsionem jurejurando confirmatam, eamque à ſimili illuſtrat: ſimilitudo autem ſumpta eſt ab agenda ratione illa, quæ hominibus vſitata eſt in finiendis controuerſijs ſuis. Similitudinis protaſis eſt hoc verſu; ac ſi dixiſſet: Homines quidem jurant ad confirmandam promiſsionem à ſe factam. *Per eum jurant)* Amplificatio eſt protaſeos, à modo quo jurant homines; Iurant per eum qui ipſis major eſt, nempè & eſſentia ſiue natura ſua, & autoritate ſiue dignitate: Nam jurare non oportet homines, niſi per majorem, non authoritate modò & dignitate, ſed & natura & eſſentia. Vnde jurare per hominem non licet, nè eum quidem qui in authoritate eſt, & ſupra nos eminet, vel hac ratione, quòd natura

natura & essentia non sit superior, licet authoritate & dignitate emineat. Non etiam satis est vt is per quem jurat homo, & natura siue essentia sua, & dignitate siue authoritate major sit, nisi etiam is per naturam mentiri non possit, hoc est, immutabilis sit natura, cujusmodi est solus Deus. Quamobrem ne per Angelum quidem licet homini jurare, quanquam is, & natura, & dignitate, homine sit superior. Christum hominem excipio, qui caput est omnis imperij ac potestatis. Colloss. cap. 2. vers. 10. *Atque ijsdem omnis*) Hic finis est cur homines dum promittunt jusiurandum simul adhibent; nempè vt omnis controuersiæ finis sit, jam adhibito ad promissionem, siue omninò verbum, jureiurando. Nota igitur, Non iurandum nisi in iudicio, & coram iudice aliquo, idque eo fine vt decidantur controuersiæ. Nota etiam ex his verbis, legitimam esse iudicii illam formam, qua iureiurando finiuntur controuersiæ.

17 *Qua in re*) Similitudinis apodosis; ac si dixisset, Sic & Deus fidejussit iureiurando, hoc est, iurauit vt confirmáret factam à se promissionem. *Volens ex abundanti*) His verbis habes consilium Dei, siue finem quem respexit in iurando, hunc nempè vt ostenderet

immutabilitatem consilij sui, ac per consequens immutabilitatem promissionis, quæ ex æterno illo consilio profecta est. In antecedente enim consequens intelligendum est. Nã hoc notandum est, nihil Deum promisisse, vel omninò locutum esse, quod non priùs in æterno illo consilio suo deliberatum & concluſum fuit. Rom. 8. 28. dicit vocari nos ex proposito ipsius. Ergo verbum illud quo nos vocat in tempore, ante tempora secularia concluſum fuit in æterno illo Dei consilio. Est & his verbis modus quo fidejusit Deus jurejurando. Modus autem est ex abundanti: Abundantiæ opponitur necessitas, nimirùm quę simplex est, & quæ Deum respicit. Nam si Deum respicias, quum ipsius nuda promissio firma sit ac immutabilis, nulla necessitas est cur ad promissionem addatur jusjurandum. Necessitas autem est κατὰ τὸ & respectu nostri, quibus nuda promissio non sufficit, qua sumus per naturam incredulitate & infirmitate. Eadem est ratio Sacramentorum quę est jurisjurandi. Nam & ijs non indiget Dei verbum, per se quidem firmum & immutabile, verùm ex Dei misericordia, propter infirmitatem nostram, ex abundanti verbo Dei sunt addita. Verbi autem ipsius & promissionum Dei simplex est necessitas. *Hæredibus*) Hi sunt in quorum gratiam, & promittit Deus, & jurat: nempe

hæredes

hęredes vitæ æternæ. Nota igitur, promiſsiones Dei, licet quoad prædicationem earum ad omnes etiam reprobos ſeſe extendant, tamen quoad efficaciam non pertinere niſi ad electos Dei. (*Fideiuſſit iureiurando*) Verbum græcum eſt ὁρκίζειν, quod ſignificat interponere juſjurandum, ſiue juriſiurandi interpoſitione vti dum promiſsio fit: Nam juſiurandum eſt quaſi Mediator inter Deum promittentem, & homines credentes, quod ideò interuenit, vt homines Deo promittenti magis credant.

18 *Vt per duas*) Superiùs finis fuit cur fidejuſſerat Deus iureiurando, hoc eſt, iuſiurandum promiſsioni ſuæ adhibuerit. Nunc hoc verſu finis eſt cur & promiſerit & iurauerit, nempè vt validam conſolationem habeamus per duas res immutabiles, nempè promiſsionem Dei primùm, quæ ſuapte natura immutabilis eſt; deinde per juſiurandum Dei, quod ſimiliter immutabile eſt. Tria ſunt hìc immutabilia: Conſilium Dei verſu præcedenti; promiſsio Dei, & juſiurandum Dei hoc verſu. His tribus nititur fides & conſolatio noſtra, licet hoc verſu meminerit tantùm duarum rerum, nempè promiſsionis & juriſiurandi. *In quibus fieri*) Ratio eſt cur poſitis illis duabus rebus immutabilibus, neceſſe eſt vt validam habeamus conſolationem. Senſus hórum verborum eſt, quòd poſtquàm Deus promiſit

simul & iurauit, fieri non potest vt mentiatur, hoc est, non præstet quod promisit simul & iurauit: Is enim dicitur mentiri, qui quod promisit se facturum, quod etiam iurauit, id non præstat. *Validam consolationem*) Sub valida consolatione quæ effectum est, intelligenda venit hoc loco πληροφορία fidei, hoc est, certa fidei persuasio, quæ caussa est consolationis validæ. Nomine enim consolationis intelligo pacem illam quæ est erga Deum, & quæ superat omnem intellectum, & quam Apostolus Rom. 5. 1. ex fide tanquam caussa sua deducit: Iustificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum. Consolationem igitur istam validam necesse est antegrediatur fides firma. Hic vnicus locus sufficit ad conuincendam aduersariorum illam doctrinam, qua tradunt oportere nos dubitare de salute nostra ac vita æterna. Nam dubitationis doctrinam tradere, quid quæso aliud est quàm docere, tam promissionem Dei, quàm ipsius iusiurandum mutabile esse, adeòque etiam ipsum Dei consilium æternum, ex quo ista sunt, mutabile esse. Quod si hæc tria mutabilia sint, Annon oportet ipsum Deum esse mutabilem? quæ summa est in Deum blasphemia: Quòd si obiiciant, firmam istam fidem & consolationem validam non accipiendam de singulis fidelibus, sed indefinitè de Ecclesia Dei; Respondeo:

deo exemplum hoc Abrahami, hoc eſt, certi cuiuſdam & ſingularis hominis, cuius paulò antè facta eſt mentio, & cui Deus promiſit ſimul & iurauit, in eundem hunc finem, vt validam haberet conſolationem: exemplum, inquam, hoc Abrahami ſatis ſuperque arguere; quòd, & promittat, & iuret Deus, in gratiam vniuſcuiuſque fidelis, vt is nominatim firmam habeat fidem & validam conſolationem. *Nos qui curſum)* Periphraſis quædam eſt & deſcriptio eorum, ad quos pertinet validaiſta conſolatio, de qua locutus eſt proximè, & ad quos etiam pertinent duæ illæ res immutabiles, quibus valida iſta conſolatio nititur. Sunt nimirum ij qui curſum eò corripuerunt, vt ſpem propoſitam obtineant, hoc eſt, qui ingreſsi ſunt hoc ſtadium Chriſtiani curſoris, & in currendo durant ac perſeuerant. Atque hìc reuertitur Apoſtolus ad principalem exhortationem, qua ad perſeuerantiam in fide & profeſsione adhortatur. Hujus autem exhortationis argumentum eſt hoc loco octauum. Ex his nota: Non niſi ad eos qui ſtudent perſeuerare in fide & profeſsione pertinere conſolationem validam.

19 *Quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem vſque in ea quæ ſunt intra velum.*

20 *Quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Ieſus, ſecun-*

ſecundum ordinem Melchiſedec, Pontifex factus in æternum.

Quam velut) Digreditur ab inſtituta exhortatione in definitionem quandam ſpei, cujus proximè meminit. Genus in definitione metaphoricum eſt, id quod indicat particula iſta (velut) Eſt enim ſpes, in qua fidem intelligo (Nam fides & ſpes in Scripturis indifferenter ſolent accipi) Eſt, inquam, fides, ſiue ſpes, quaſi anchora animę noſtræ tanquam nauis. Eſt enim ea natura ſua inſtabilis & fluctuans, ac circumfertur quouis vento vel leuiſsimo. Eph. 4. 14. *Tutam ac firmam*) Differentiæ fidei ac ſpei ſequuntur: Prima eſt, quòd anchora ſit tuta, nempè ab omni injuria & tentationum inſultu. Secunda eſt quod Anchora ſit firma, hoc eſt, firmiter fundata & fixa, hæc prioris cauſſa eſt. *Et ingredientem*) Hęc tertia eſt quaſi differentia in definitione ſpei, à loco illo in quem ingreditur, nempè cœlis ipſis, imò ſupremo & intimo cœlo, ſiue loco qui eſt longè ſupra omnes cœlos. Epheſ. 4. 10. Cujus quidem loci ſacrarium illud ſiue ſanctum ſanctorum veteris Tabernaculi, typus quidam fuit Sacrarium enim ſiue ſanctum ſanctorum, velo diſtinctum erat à ſancto quod vocant, ſiue Tabernaculo exteriori.

2o *Quò præcurſor)* Ratio quædam eſt cur fides ſiue ſpes noſtra ingrediatur vſque in ſacrarium

rium: ſumpta eſt ab Ieſu Chriſto, ejuſque tanquam præcurſoris in cœlos ingreſſu, eoque pro nobis, nempè vt pararet nobis in cœlis locum. Ioan. 1. 42. *Secundum ordinem)* Definitio quædam Chriſti adjecta eſt ab ejus Pontificatu, & certi cujuſdam generis Pontificatu. Ergo in hac definitione Chriſti, Pontifex eſt quaſi genus. Ordo Melchiſedec, & æternitas Pontificatus ipſius, quaſi differentiæ, quibus diſtinguitur Pontificatus Chriſti à Pontificatu Aaronis. Atque hìc quidem redit ad doctrinam illam de Melchiſedeco Pontifice propoſitam ſuprà cap. 5. verſ. 11. quo loco de Melchiſedeco multa dicenda propoſuit. Ab eo enim loco, in hunc vſque locum perpetua fuit digreſsio ab eo de quo ibi dicendum inſtituit.

Argumentum Capitis ſeptimi.

PRimum hoc capite agitur de Melchiſedeco, Chriſti Pontificis typo. Ac primum quidem ejus eſt deſcriptio, ad verſ. 4. Deinde præſtantia ejus probatur ad verſ. 11. Secundo hoc capite probat mutatum eſſe ſacerdotium legale, pariter & Miniſterium legale, adverſ. 20 Poſtremo de Ieſu agit, cujus typus erat Melchiſedec, eiuſque præſtantiam præ Leuiticis ſacerdotibus, probat ad finem vſque capitis.

CAPVT VII.

NAm hic *Melchiſedec Rex* erat *Salem, Pontifex Dei altiſſimi, qui occurrit Abrahæ reuertenti à cæde regum & benedixit ei.*

2 *Cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abraham: qui primùm quidem ex interpretatione dicitur rex iuſtitiæ: deinde verò etiam rex Salem:*

lem: quod est Rex pacis.

3 Sine Patre, sine Matre, sine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens: sed assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

4 Spectate verò quantus hic fuerit, cui etiam decimas spoliorum dederit Abraham Patriarcha.

5 Et ij quidem qui sunt ex filijs Leui Sacerdotio fungentes, præceptum habent decimarum accipiendarum à populo secundum Legem, hoc est, à fratribus suis, licet egressis ex lumbis Abrahæ.

6 Is verò cuius genus ad illos non refertur, decimas accepit ab Abraham, & habenti promissiones benedixit.

7 Porrò sine vlla controuersia id quod minus est ab eo quod maius est benedicitur.

8 Atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illic autem is de quo testatum est quod viuat.

9 Et (vt ita loquar) in Abraham decimatus est etiam ipse Leui, qui decimas solet accipere.

10 Nam is adhuc in lumbis patris erat, quum occurreret Abrahæ Melchisedec.

Nam hic Melchisedec) Redit ad id quod de Melchisedeco dicendum proposuit cap. 5. vers. 11. Nam indè à versu 12. illius capitis, digressus est ad hunc vsque locum. Hìc igitur propositam ibì de Melchisedeco doctri-

nam perſequi inſtituit. Primùm autem hoc capite eſt Melchiſedeci deſcriptio: deſcribitur autem vt typus erat Chriſti, ac proinde omnes deſcripuonis partes de Melchiſedeco typicè accipiendæ ſunt: de Chriſto autem verè ac propriè intelligendæ. *Rex erat Salem)* Deſcriptionis pars prima ab officio Regio, quo Chriſtum illum Regem adumbrauit. *Pontifex)* Secunda deſcriptionis pars ab officio Sacerdotali, quo etiam Chriſtum illum Pontificem figurauit. *Altiſſimi)* Hoc Dei epithetum & adjunctum commendat officium. Nam quo Deus excellentior, eò dignior ejus Ponufex eſt. *Qui occurrit)* Tertia deſcriptionis pars, à certa quadam functione officij & muneris Regij: Occurrit Abrahæ reuertenti à cæde regum, proferens panem & vinum, non offerens ſacrificium, vt volunt aduerſarij. Atque hoc factum Regis fuit, non Pontificis. Vide de hoc Geneſ. 14. verſ. 18. *Et benedixit ei)* Quarta deſcriptionis pars, à functione officij ſacerdotalis. Nam Pontificis eſt & Sacerdotis benedicere. Si loquamur propriè ſolus Deus & Chriſtus benedicit: homines autem olim benedixerunt vt Chriſti quidam typi. Nunc autem poſt aduentum Chriſti ipſius, qui corpus eſt, homines benedicunt, non vt typi, ſed vt ſerui & miniſtri ejus, ipſius nomine.

2 *Cui & decimas)* Quinta descriptionis pars, à persolutis ei ab Abrahamo spoliorum decimis, quo facto Abraham eum Dei Pontificem, & Christi venturi typum agnouit. *Ex omnibus)* Nempè spoliis: nihil enim spoliorum illorum fuit quod non est decimatum; ad hoc vt esset integra & perfecta illa decimarum oblatio. Ex hoc loco videri potest decimarum persolutionem aliquo modo naturalem esse: Nam tum nulla de decimis lata fuit Lex ceremonialis. Decimæ enim propriè & primùm ad Deum ipsum pertinebant. Oblationes autem quęcunque debentur Deo, vt sacrificiorum & aliarum rerum, principium suum habent aliquo modo à natura ipsa, & hominum conscientia. *Qui primùm quidem)* Sexta descriptionis pars, à notatione & definitione nominum quę habuit Melchisedec: vocatus enim primùm est Melchisedec, hoc est, Rex Iustitię, deinde Melchi Salem, hoc est, Rex pacis. Vtroque hoc nomine figurauit Christum, qui propriè appellatur & Rex Iustitiæ, nempè illius æternę & per fidem imputatæ: & Rex pacis, quę fidei fructus est, & justitię per fidem imputatæ: Iustificati enim per fidem pacem habemus erga Deum. Rom. 5. 1.

3 *Sine Patre)* Septima descriptionis pars, ex eo quod expers fuerat omnis cognationis, & consanguinitatis naturalis & terrenæ, ad morem

rem aliorum hominum. Hoc argumentum explicatur tribus membris. Primum est quod sine Patre fuerat: Secundum quod sine matre: Tertium quod omninò sine genere & γενεαλογία extiterit. Genes. 14. vnde hæc deprompta sunt, non habentur ista totidem verbis, sed quia illic nulla fit mentio Patris, Matris, & omninò generis Melchisedeci, ideò silentium illud Mosis, vel potiùs Spiritus sancti eo in loco, sic interpretatur Apostolus hoc loco, ac si expressè fuisset scriptum, Melchisedecum, neque Patrem, neque Matrem, neq; genus habuisse. Nam certum est, Mosem ideo non meminisse, vel Patris, vel Matris, vel omninò generis Melchisedeci; quia is erat Christi venturi typus, & Deus voluit ignorari Melchisedeci & Patrem, & Matrem, & omninò genus, vt ab hominibus pro typo Christi haberetur. Quāobrem nimis temerè mihi videntur facere qui inuito quasi Deo, Patrem, Matrem, & omninò genus Melchisedeci volunt cognoscere. Vtut est, hæc propriè in Christum competunt, qui ἀπάτωρ fuit quà homo, conceptus nimirùm per Spiritum sanctum: ἀμήτωρ fuit quà Deus, vtpote Dei Filius ab æterno genitus: Licèt etiam sint qui dicant, quà homo eum ἀμήτορα fuisse, quia mater ejus Virgo erat, ideòque propriè non dicenda mater: Denique sine genere, cognatione, & consanguinitate ista naturali fuit quà

Deus

Deus,& Dei Filius. Videtur Paulus 2. Cor. 5. 16. profiteri se Christum sine his, Patre, Matre,omninòque genere, in posterum cognituru,cùm dicit: Quod si etiam nouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Nam in Christo illa vetera,etiam in quibus est cognatio ista humana, jam prętęrierunt, & noua facta sunt omnia. *Nec initium dierum*) Vltima descriptionis pars, ab ejus ętęrnitate,quam ex eo colligit Apostolus, quòd in illo Geneseos loco nulla mentio fiat, vel ortus, vel mortis Melchisedeci. De Melchisedeco quidem hoc dictum est typicè, de Christo autem verè & propriè accipiendum. Nam is verè æternus est, quum Deus sit ab æterno in ętęrnum, & Pontifex etiam in ętęrnum, non tantùm quà Deus est, sed etiam quà homo. Fortasse non malè accipienda sunt, quę hoc loco dicuntur de Christo, non tam habita ratione naturarum ejus, quàm officij, hoc est, Pontificatus ejus. Vt enim Pontifex est,neq; genus habet,neque principium, neque finem. Ideò hìc dictum est, eum manere Sacerdotem in perpetuum. *Sed assimilatus*) Caussam innuit ętęrnitatis siue perpetuitatis hujus Melchisedeci,ex eo quod typus fuerit Christi,ac proinde assimilatus fuerit ei.

14. *Spectate verò*) Occasione descriptionis proximæ, de excellentia Melchisedeci, agit Apostolus

Apostolus. Propositio excellentiæ est cum præfatiuncula quadam, qua attentionem conciliat. Spectate, inquit, Propositionis sententia est, ac si dixisset, Melchisedec iste magnus fuit & excellens. *Cui etiam decimas*) Argumenta excellentiæ ipsius omnia ex proxima descriptione sunt desumpta. Quorum primum hoc est, à decimis spoliorum Melchisedeco persolutis, etiam ab ipso Abrahamo Patriarcha. Epitheton hoc Patriarchę amplificat honorem hunc ab Abrahamo delatum Melchisedeco.

5 *Et ij quidem*) Hęc quoque altera est amplificatio facti illius Abrahami; à dissimili cõparatione decimarum quas accepit Melchisedec, & decimarum quas accipiunt sacerdotes Leuitici. Leuitici sacerdotes accipiunt decimas suas à populo, h.e. à fratribus suis, idq; ex Legis Dei præscripto. At verò Melchisedec decimas accepit ab ipso Abrahamo. Protasis est hoc versu: apodosis sequenti. *Qui sunt*) Periphrasis est sacerdotum Leuiticorum. *Præceptum habent*) Ratio est cur accipiant decimas, à Dei mandato. *Hoc est à*) Definitio quædam populi à fraterna illa conjunctione quam habent Leuitæ cum populo: quasi dicat, Leuitæ accipiunt decimas ab ijs qui sunt ex communi secum stirpe. *Licet egressis ex lumbis*) Amplificatio quædam est facti hujus populi,

 siue

siue fratrum, ac si dicat: Licet egressi sint ex lumbis Abrahæ, quemadmodum & ipsi Leuitæ, tamen persoluunt ex præscripto Legis Dei Leuiticis sacerdotibus decimas, quam ipsis majoribus: Major enim cui persoluuntur decimæ, quàm is qui persoluit eas. Notat Deum & ipsius verbum dispares efficere eos qui alioqui sunt pares. Quis te discernit, inquit Paulus? quid autem habes quod non acceperis? 1. Corinth. 4. 7. *Cuius genus*) hoc est, qui non est ex stirpe Leuitica. *Et habenti*) Secundum est excellentiæ Melchisedeci argumentum, à functione illa officij sacerdotalis, in benedicendo, de qua suprà in descriptione. Factum autem hoc Melchisedeci in benedicendo exaggerat, à conditione Abrahami. Is enim erat Abraham ad quem promissiones Dei pertinebant.

7 *Porrò sine*) Ex eo quòd Melchisedec benedixerit Abrahæ, concludit Melchisedecum Abrahamo excellentiorem; in hanc formam. Id quod minus est ab eo quod majus est benedicitur. At à Melchisedeco benedictus est Abraham. Ergo Melchisedec Abrahamo major est.

8 *Atque hic quidem*) Tertium argumentum excellentiæ Melchisedeci sacerdotis, ab ipsius æternitate. Illustratum autem est ex dissimili comparatione sacerdotum Leuiticorum,

qui

qui moriuntur omnes. Sacerdotum Leuiticorum hoc loco periphrasis quædam est, & descriptio, ex decimis quas accipiunt, vt & Melchisedeci ab acceptis decimis circumscriptio est. *De quo testatum*) Probat eum in æternum viuere, ex testimonio Scripturæ, quæ nullum verbum habet de ejus morte. Genes. 14. Cum igitur Scriptura silentio prætereat ejus mortem, idque dedita opera, ad hoc vt esset typus Christi, sequitur igitur eum viuere & manere æternum. Nota discrimen inter Pontificem Leuitici ordinis, & Pontificem hujus ordinis in quo erat Melchisedec. Leuitici ordinis Pontifices, qui totidem erant typi venturi Christi, varij erant, alijque alijs tempore succedebant. At verò hujus ordinis in quo erat Melchisedec, vnicus tantùm numero fuit Pontifex. Vnicum autem oportuit esse, quia æternus fuit, nec initium dierum, nec vitæ finem habens.

9 *Et vt ita*) Argumentum excellentiæ Melchisedeci quartum, ex eo quòd non tantùm ab Abrahamo decimas acceperit Melchisedec, sed etiam in Abrahamo ab ipso Leui, qui pater erat Leuiticorum omnium sacerdotum. Ex quo sequitur, Melchisedecum excellentem quendam fuisse virum, & sacerdotibus Leuiticis omnibus excellentiorem.

10 *Nam is adhuc*) Probat in Abrahamo decimatum esse Leui, ex eo quod Leuitum non-

dum genitus, fuerit in lumbis Abrahæ, quum Melchisedec decimas ab Abrahamo accepit, quo tempore Melchisedec Abrahamo redeunti à cæde Regum occurrit. Nota ex hoc, factum parentis pariter esse factum seminis quod est in ipsius lumbis, tum cùm ipse facit aliquid. Hoc modo factum Abrahami pariter fuit factum Leui nondum geniti, & Leuiticorum omnium sacerdotum, qui cum Patre suo Leui pariter in lumbis erant Abrahæ cum decimas dedit Melchisedeco. Hoc modo etiam primum illud Adami peccatum, fuit pariter nostrûm omnium, qui tum in ejus lumbis fuimus quum ipse peccauit. Ideò Apostolus Rom. 5. 12. in Adamo dicit nos omnes peccasse: peccatum autem Adami in nos deriuatum est, & ratione natiuæ corruptionis, & ratione reatus actualis ipsius peccati, & defectionis.

11 Porrò si consummatio per Leuiticum Sacerdotium erat (nam sub hoc sancita Lex est populo) quid amplius erat opus alium exoriri Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, nec secundum ordinem Aaronis dici?

12 Mutato enim Sacerdotio, necesse est vt Legis quoque mutatio fiat.

13 Nam is *de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari.*

14 Palam est enim è tribu Iuda exortum esse

Domi-

Dominum nostrum: cui tribui nihil de sacerdotio loquutus est Moses.

15 Idque *etiam magis patet ex eo quòd ad instar Melchisedec exoritur Sacerdos alius:*

16 Qui non ex Lege, cuius mandatum sit carnale, factus est sacerdos, *sed ex vi indissolubilis vitæ.*

17 Testificatur enim ad hunc modum, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.

18 Nam mandatũ præcedens abrogatur propter ipsius imbecillitatem & inutilitatem.

19 Nihil enim sanctificauit Lex: sed superintroducta spes melior, per quã appropinquamus Deo.

Porrò si) Occupatio est: objci enim potuit ab Hebræis siue Iudæis, ad ea quæ dicta sunt proximè de Melchisedeco, ejusque excellentia ac præstantia. Esto, sit Melchisedec, sit nouus sacerdos, qui non est secundum ordinem Leui: sit quoque hęc quam dicis noui sacerdotis prętantia: Attamen per Leuiticum sacerdotium fuit perfectio & sanctificatio. Respondet negatiuè: Non fuit per Leuiticum sacerdotium perfectio siue sanctificatio. Objectio simul & responsio negata ista suppressa est. Negatæ autem responsionis ratio in contextu est expressa. Si perfectio siue sanctificatio per Leuiticum sacerdotium erat, quid amplius erat opus alium exoriri sacerdotem, secundum

ordinem Melchiſedec? &c. At alius exortus eſt ſacerdos, qui eſt ſecundum ordinem Melſchiſedec (Chriſtum intelligit, cujus typus erat Melchiſedec.) Ergo conſummatio ſiue ſanctificatio non erat per Leuiticum ſacerdotium. De negata hac concluſione lege cap. 10. verſ. 1. Nota finem religionis ſiue cultus Dei à Deo præſcripti eſſe, vt homo ſit perfectus & conſummatus. Hunc finem Scripturæ ſacræ eſſe tradit Apoſtolus 2. Timoth. 3. 17. vt perfectus ſit homo Dei, inquit, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. Perfectionem iſtam pono in ijs benedictionibus Dei in Chriſto, quę ad alteram vitam ſpectant, in vocatione efficaci, in juſtificatione, in ſanctificatione. *Nam ſub hoc ſancita*) Amplificatio eſt quædam ejus, quod dixit de conſummatione quæ eſt per Leuiticum ſacerdotium, per occupationis quandam ſpeciem inſerta. Eſt autem amplificatio à Lege, ſiue miniſterio Legali, quod ſancitum eſt populo ſub hoc ſacerdotio Leuitico. Ex quo videtur ſequi conſummationem eſſe oportere per Leuiticum ſacerdotium. Quid enim eſt quod ſanctificat, ſi non miniſterium hoc Legale? Notandum eſt hoc loco, neque ſacerdotium illud Leuiticum, neque Legem ſub hoc ſacerdotio ſancitam populo (ceremonialem intelligo) ijs quidquam profuiſſe ad perfectionem ſiue ſanctificationem, qui ſeorſim vnbram

bram à corpore acceperunt. Nam hoc loco Apoſtolus typos illos Legales ſeorſim ſumit à rebus ipſis quas figurabant, eoſque etiam rebus figuratis opponit. Sic autem conſtituti, nullam vim habent ad hominem perficiendum ſiue ſanctificandum. Typos autem ſic accepit Apoſtolus ex hypotheſi & ſenſu Iudæorum, qui typos ſeorſim à rebus figuratis ſumpſerunt, & in vmbris quaſi religionem Deique cultum poſuerunt.

12 *Mutato igitur*) Altera occupatio eſt. Eſto hoc (inquit Iudæus aliquis) mutatus ſit ſacerdos, & tranſlatus è tribu vna in tribum alteram: at verò non indè ſequitur legis quoque, hoc eſt, miniſterij Legalis mutationem fieri. Annon enim (dixerit) ſub nouo Sacerdote, qui ſit ex altera tribu, poteſt manere vetus illud legis miniſterium, & jam olim præſcripta illa colendi Deum ratio? Reſpondet Apoſtolus, tranſlato ſacerdotio neceſſario mutari quoque Legem, ſiue miniſterium Legale totum.

13 *Nam is de quo*) Sequelam ſiue connexionem proximam confirmat: idque hoc argumento. Primùm à natura & conditione illius tribus ad quam tranſlatum eſt ſacerdotium. Is, inquit, de quo hæc dicuntur, hoc eſt, is qui factus eſt nouus ſacerdos, per ea verba Dei Patris, quę habentur Pſal. 110. verſ. 4. (Iurauit Iehouah Tu es Sacerdos &c.) is, inquam,

ad eam tribum pertinet, de qua nullus vnquam attendit altari, h. e. de qua nullus vnquam obijt aliquam partem miniſterij Legalis, quod poſitum eſt in ſacrificijs, alijſque id genus ceremonijs. Sequitur ergo, tranſlato ſacerdotio neceſſariò totius miniſterij legalis mutationem fieri.

14 *Palam eſt)* Probatur antecedens enthymematis proximi. Nouus hic ſacerdos, vt manifeſtò conſtat, exortus eſt è tribu Iuda. At tribus Iudæ reſpectu nihil de ſacerdotio locutus eſt Moſes, hoc eſt (vt dixit ſuprà) de Tribu Iuda nullus attendit altari, neque à Moſe cuiquam ex hac tribu impoſitum eſt hoc munus ſacerdotij. Ergo nouus hic ſacerdos ad eam tribum pertinet de qua nullus attendit altari. Nota hìc Moſem in Lege ſua nihil præſcripſiſſe de hoc ſacerdotio quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedeci. Tradidit multa (fateor) de ordine ſacerdotij Aaronici: at hujus ordinis non meminit, neque ejus leges præſcripſit. De hoc autem ordine habes Pſalmo 110. Tradit Moſes (fateor) hiſtoriam Melchiſedeci. Geneſ. 14. 18. 19. 20. Quo loco eum ex effectis ſacerdotem fuiſſe oſtendit, verùm de hoc ſacerdotij ordine nullas leges præſcripſit, id quod fecit de ordine ſacerdotij Aaronici.

15 *Idque etiam magis)* Secundum argumentum quo probat ſequelam illam; Quòd mutato ſacerdotio neceſſe ſit legis quoq; mutationem

onem fieri. Hoc argumentū ſumptum eſt à natura & conditione ordinis illius ex quo eſt hic nouus ſacerdos, nempè Chriſtus. Hic ſacerdos eſt ex ordine Melchiſedeci exortus, non ex lege factus ſacerdos, ſed ex vi indiſſolubilis vitę. Ergo mutato ſacerdotio neceſſe eſt vt Legis quoq; mutatio fiat: quid enim huic ſacerdoti, qui non eſt ex lege factus, cum miniſterio illo legali? Nota rurſus nullam eſſe legem Moſaicam de hoc ſacerdote, qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedec. *Cuius mandatum*) Legis quędam deſcriptio eſt, qua arguit ex lege non factum fuiſſe eum Sacerdotem: Legis enim mandatum eſt carnale, h.e. de rebus caducis & euanidis, quę carnis nomine in Scripturis ſignificantur. *Sed ex vi*) Legi opponit vim indiſſolubilis vitæ, tanquam veram cauſam qua factus eſt hic ſacerdos: Per vim autem indiſſolubilis vitæ, intelligit efficaciam illam verbi, & juriſiurandi Dei, quæ eſt ad vitam quæ nunquam diſſoluitur, hoc eſt, ad durationem ſempiternam. Ex hac enim vi durat Pontificatus Chriſti in æternum.

17 *Teſtificatur enim ad hunc*) Probat veram hanc cauſam ſacerdotij Chriſti, ſiue Chriſtum factum eſſe ſacerdotem ex vi indiſſolubilis vitæ, à teſtimonio ipſius Dei in Scripturis, in quibus Pater ſic Filium ſuum alloquitur: Tu es Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem

ordinem Melchiſedec. Atque hæc verba Patris ad Filium, habent vim indiſſolubilis vitæ. Ergo factus eſt ſacerdos ex vi indiſſolubilis vitę. Vide Pſal. 110.

18 *Nam mandatum*) Hactenus primum fuit argumentum, quo probata eſt Legis ſiue Miniſterij legalis mutatio: Sumptum fuit à tranſlatione ſacerdotij: In eo immoratus eſt ad hunc vſque verſum. Hìc igitur habemus ſecundum ejuſdem rei argumentum, ſumptum à miniſterij Legalis inefficacitate, ſiue impotentia & inutilitate. Miniſterium illud Legale nullis viribus præditum eſt, & inutile eſt, nempè ad ſanctificationem. Ergo abrogatur.

19 *Nihil enim*) Ratio cur nullis ſit viribus præditum & inutile mandatum, ab effecto ſanctificationis ſiue perfectionis. Nihil ſanctificauit Lex. Ergo nullis viribus prædita, & inutilis eſt. Quòd ſi enim vis & vtilitas Legis fuiſſet aliqua profectò fuiſſet ea ad ſanctificationem. *Sed adſcita*) E diuerſo veram ſanctificationis cauſſam ſubijcit, quam vocat introductionem ſpei melioris. Hoc nomine ſpei melioris intelligit Euangelium Chriſti, quod Legi ſucceſsit & in ejus locum introductum eſt. Ab effecto autem ſuo ſic vocat Euangelium: nam Euangelium ſpem gignit meliorem. *Per quam*) Deſcriptio quædam hujus ſpei ab effecto ſuo, per eam enim appropinquamus Deo, diruta quaſi

quasi jam maceria Legis, & ceremoniarum, quę nostrum ad Deum aditum quasi intercluserunt, obfueruntque quò minus ad eum appropinquaremus. Eph. 2. 16. Col. 2. 14.

20 *Et quatenus non absque iureiurando* superinducta est.

21 *Nam illi quidem, citra iusiurandum Sacerdotes facti sunt: hic verò cum iureiurando per eum qui dixit ei, iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in aternum secundum ordinem Melchisedec.*

22 *Tanto potioris fœderis sponsor factus est Iesus.*

23 *Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere:*

24 *At iste propterea quod in aternum manet, perpetuum habet Sacerdotium.*

25 *Vnde & seruare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens, vt interpellet pro eis.*

26 *Talis enim nos decebat Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus.*

27 *Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro peccatis proprijs victimas offerre,* deinde pro peccatis *populi: hoc enim fecit semel quum semetipsum obtulit.*

28 *Lex enim homines constituit Pontifices infirmos: ac sermo iurisiurandi post Legem* concepti

ti, *Filium* constituit *qui in æternum est sanctificatus.*

Et quatenus non) Hactenus hoc capite, de Melchisedeco Christi typo, & ejus descriptione primùm, deinde præstantia, de sacerdotio legali quod abolitum sit: de Lege ipsa, totoque legali ministerio, quòd sit abrogata. Nunc agitur de Christo ipso, cujus typus erat Melchisedec: ejusq; præstantia & excellentia per comparationem cum Leuiticis sacerdotibus ostenditur. Propositio igitur ostendenda est ista, Iesus Christus præstantior Sacerdos est, quam fuerunt sacerdotes Leuitici. Argumentum primum sumptum est à præstantia fœderis illius, cujus est sponsor Iesus, in hanc formam. Iesus factus est potioris fœderis sponsor. Ergo præstantior est sacerdotibus Leuiticis. Enthymematis hujus antecedens habetur vers. 22. Consequens autem subticetur hoc loco, & intelligendum relinquitur: Enthymematis autem antecedens sic probat. Factus est Iesus Sacerdos non absque jurejurando. Ergo factus est sponsor potioris fœderis. Enthymematis hujus antecedens habetur versu 20. Consequens autem versu 22. Sequela sic patet. Qui factus est Sacerdos, non simplici nudoque verbo, sed adhibito jurejurando, necesse est is respectu potioris præstantiorisque fœderis factus sit Sacerdos. Nam vbi Sacerdos, ibi fœdus cujus fœde-

fœderis ſponſor eſt Sacerdos. Sponſor fœderis vocatur Ieſus, quia ſpondendo pro nobis, & ſatisfaciendo ſanguine ſuo pro peccatis noſtris, effecit vt nos in gratiam rediremus cum Deo Patre, procurauitque nobis nouum fœdus, quod gratuæ vocant. Duo enim ſponſori Chriſto facienda erant. Primùm oportuit eum in ſe transferre debitum noſtrum, proque eoque juſtitiæ Patris ſatisfacere. Deinde oportuit eum procurare atque promereri nobis nouam gratiam, hoc eſt, fœdus nouum, quo futurum erat vt denuò Dei amici & quaſi confœderati euaderemus. vtrumq; hoc præſtitit Chriſtus ſponſor per ſacrificium & crucem ſuam.

21 *Nam illi*) Oſtendit quod dixit proximè, ex diſsimili comparatione Chriſti Sacerdotis & ſacerdotum Leuiticorum: illi quidem citra juſiurandum ſacerdotes facti ſunt, hic verò cũ jurejurando. Protaſis vera eſſe conſpicitur ex libris Moſis, vbi agitur de ordinatione Aaronis, & aliorum ſacerdotum Leuiticorum, in quibus nihil legitur de jurejurando in ijs ordinandis adhibito: Quare nullum fuit. *Per eum qui*) Apodoſin probat adducto in medium Scripturę teſtimonio illo quod habetur Pſal. 110. 4.

23 *Et illi*) Secundum argumentum præſantię ſacerdotis Chriſti, à perpetuitate ſacerdotii Chriſti, quæ comparatè tractatur hoc modo.

Leui-

Leuitici facti sunt sacerdotes plures, hoc est, non perpetui, sed alij alijs succedentes. At iste perpetuum habet Sacerdotium. Ergo hic illis præstantior. *Quod mors)* Ratio est cur Leuitici Sacerdotes plures sint facti, à morte qua impedita est perpetuitas in sacerdotio. Loquitur Apostolus de summis sacerdotibus, siue Pontificibus, non autem de vulgo sacerdotum Leuiticorum. In genere autem summorum sacerdotum vnus tantùm erat vno tempore, non plures, ex præscripto Legis diuinæ: Quamobrem pluralitas hoc loco successiua intelligenda est.

24 *At iste propterea)* Ratio est cur perpetuum sit sacerdotium Christi, ab ipsius æternitate, siue duratione æterna: Manet in æternum. Ergo perpetuum habet sacerdotium, non successiuum, quale habuerunt summi sacerdotes Leuitici, qui morti fuerunt obnoxij. Nota igitur, Christum nullum habere in terris successorem in sacerdotio suo; neque debere hoc nomen vsurpari in Ecclesia Christiana post Christum, qui sacerdotali muneri, quod positum erat in victimis & sacrificijs offerendis, finem imposuit. Sumus quidem nos omnes quicunque in nomine Christi baptizati sumus, certo quodam modo sacerdotes, vt & Reges, & Prophetæ: vndè Petrus regale sacerdotium nos vocat. 1. Epist. 2. 9. verùm post Christum nul-

nullum est istiusmodi in Ecclesia speciale aliquod munus & officium.

25 *Vnde & seruare)* Tertium est argumentum præstantię Christi, quod consequens est & effectum æternæ illius ipsius vitæ & durationis, cujus meminit proximè: Sacerdos Christus prorsus, & (vt sic dicam) finaliter potest eos seruare qui per ipsum accedunt ad Deum, nempè per fidem. At Leuitici sacerdotes id non potuerunt. Ergo hic ijs præstantior est. *Semper viuens)* Ratio est cur prorsus seruet, Quia semper viuit. *Vt interpellet)* Ratio est sequelæ, quia viuendo interpellat & intercedit apud Deum pro fidelibus. Sequitur ergo, quod si semper viuat, prorsus & perfectè seruet credentes: Non enim in cœlis otiosus & inefficax est, verùm munus Pontificis exercet, interpellando siue intercedendo odore illo sacrificij ipsius perpetuo. Vnde 1. Ioan. 2. 1. postquàm eum aduocatum nostrum vocauit, continuò addidit, ipsum propitiationem esse pro peccatis nostris, hoc est, sacrificium propitiatorium. Sequitur ergo eum intercedere etiam in cœlis, virtute perpetua sacrificij illius propitiatorij, quod semel est oblatum in terris.

26 *Talis enim)* Argumentum quartum præstantiæ Christi, à qualitate ipsius, quam explicat varijs, ijsque eximijs particularibus qualitatibus & conditionibus inductis, quibus omnibus

nibus differt à Leuiticis Pontificibus. Pontifex eſt pius, innocens, impollutus &c. Ex his quæ inductæ ſunt qualitatibus, quædam ad perſonam pertinent, nimirùm quæ hoc verſu continentur, quædam verò ad officium, nimirùm quę habentur verſu ſequenti. Primùm hoc loco propoſitio quædam eſt in genere qualitatis quę requirebatur in Pontifice noſtro. Talis, inquit, nos decebat Pontifex, hoc eſt, hęc qualitas & conditio in Pontifice noſtro requirebatur. Deinde ſequitur explicatio generalis propoſitionis ſiue qualitatis illius quę in genere propoſita eſt. *Pius*) Prima qualitas, quæ reſpicit Deum. *Innocens*) Secunda quę reſpicit proximum. *Impollutus*) Tertia quę reſpicit ipſius perſonam. Nam quoad perſonam ſine macula, & labe eſt. *Segregatus*) Quarta quę eadem videtur eſſe cum ſuperiori, niſi quod comparatè propoſita ſit, facta nimirùm cum peccatoribus comparatione. Nam cum ſegregatum dicit à peccatoribus, ſenſus eſt ac ſi dixiſſet, non talem eum eſſe quales ſunt peccatores, hoc eſt impollutum & immundum. *Sublimior cœlis*) Quinta eſt qualitas, quæ & ipſa quoque reſpicit perſonam, eſt enim perſonæ dignitas, excellentia, & ſublimitas, quæ comparatione cœlorum ipſorum explicatur.

27 *Cui non ſit*) Sexta conditio ſiue qualitas, non

non est ei imposita necessitas offerendi quotidie: hęc qualitas ad officium & munus sacerdotij pertinet. *Quemadmodum illis*) hoc est, quemadmodum necesse fuit Pontificibus, quos ex lege oportuit quotidiè offerre sacrificia. In hac conditione siue qualitate expressè cōparatus est cum Leuiticis sacerdotibus, idq; in dissimili: in superioribus non nisi intellectè. *Prius pro peccatis*) Septima est conditio: non necesse habet vt prius offerat victimas pro peccatis suis, deinde pro peccatis populi. Et in hac quoq; comparatur cum Leuiticis Pontificibus expressè. Nam Leuiticos Pontifices oportuit prius pro peccatis suis, deinde pro peccatis populi, victimas offerre. In summa ita q; argumentatio est. Pontifex noster pius est, innocens &c. At tales non fuerunt pontifices Leuitici: Ergo hic noster illis præstātior est Pontifex. *Id enim*) Ratio cur non necesse sit vt quotidiè offerat Christus: Semel id fecit, h. e. semel obtulit: Ergo non est necesse quotidie id faciat. *Cum semetipsum*) Ratio est vt videtur sequelæ, Quia semel id fecit cùm semetipsum obtulit: vnde sequitur non necesse esse vt quotidiè id faciat, quum semetipsum quotidie offerre non possit. Christus enim sæpius mori non potest. Rom. 6. 10. Nam quod mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo.

28 *Lex enim*) Hæc ratio est cur non sit ne-

 cesse

cesse Christum pro peccatis proprijs prius victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Sumpta est à natura & conditione ipsius. Filius est in æternum sanctificatus, hoc est, non est infirmus aut peccator. Vnde non necesse habuit, vt prius pro peccatis proprijs offerret victimas: illustratur hæc Christi conditio, à dissimili Pontificum Leuiticorum conditione, qui infirmi & peccatores erant. Notandum quod non dicat simpliciter Pontifices Leuiticos infirmos fuisse, verùm dicat legem constituisse homines Pontifices infirmos: neque dicat simpliciter Christum fuisse in æternum sanctificatum, sed dicat, Legem jurisiurandi constituisse filium qui in æternum est sanctificatus: qua quidem re innuit, non tantùm dissimiles esse Pontifices illos Leuiticos & Christum, in natura & conditione sua, sed etiam in ratione vocationis: Nam Leuitici Pontifices vocati sunt per legem, Christus autem vocatus est per sermonem jurisiurandi, quæ vocationis ratio dignior & præstantior est.

Argumentum Capitis octaui.

HOc capite comprehensa sunt præsentis instituti, hoc est, præstantiæ Christi Pontificis, duo argumenta. Primum a versu 1. ad versum 6. Secundum a versu 6. ad finem vsque.

CAPVT VIII.

CÆterùm eorum *qua dicimus* hæc *summa* est, *Talem* nos *habere Pontificem qui consedit ad dexteram throni maiestatis illius in cœlis.*

2 Sanctu-

2 *Sanctuarij minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus & non homo.*

3 *Omnis enim Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret.*

4 *Nam si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis sacerdotibus qui secundum legem offerunt dona.*

5 *Ut qui exemplari & umbræ deseruiunt rerum cœlestium, sicut diuinitus dictum est Mosi quum esset absoluturus tabernaculum; Vide enim, inquit, vt facias omnia ad exemplar quod ostensum est tibi in monte.*

Caterùm eorum.) Principio hujus capitis est argumentū præstantię Christi Pontificis quintum, sumptum etiam ab ipsius qualitate. Argumento præmissa est præfatiuncula, qua ipsum cōmendatur nobis tanquam κεφάλαιον quoddām, hoc est, argumentum princeps ac primarium. *Talem nos habere*) Generalis quædam propositio est qualitatis Pontificis Christi, vt capite superiori, vers. 26. *Qui consedit*) Explicatio est qualitatis Christi in genere propositæ, per inductionem siue enumerationem partium aliquot ipsius. Prima est, quod sedet ad dexteram Dei. Non dicit dexteram Dei, vetum dexteram Throni majestatis illius. His omnibus verbis amplificat sessionem illam Christi. Vide Heb. 1. 2. Sessio quidem hæc

Pontificis est, sed regalis, nam sacerdotium Christi regale est, vt eorum quiin Christo sunt. 1 Pet. 2 9.

2 *Sanctuarij minister.*) Secunda Christi Pontificis qualitas siue conditio, Minister est Sanctuarij, hoc est, cœli altissimi, cujus typus erat sanctum sanctorum, quod ministrum habebat Pontificem Leuiticum. Heb. 9. 12. Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium: vt enim Pontifex typicus minister fuit sacrarij, siue sanctuarij terreni: ita Pontifex Christus minister est sanctuarij cœlestis. *Ac veri illius*) Tertia qualitas Christi: Minister est non quidem typici & vmbratilis, sed veri Tabernaculi. Nam verum hoc loco vmbratili & typico opponitur. Tabernaculi nomine intelligit corporis sui Tabernaculum, cujus minister fuit Christus in eo Patri offerendo pro peccatis nostris. Ministerium hoc Tabernaculi, hoc est, corporis sui, sequitur ministerium Sanctuarij, & cum eo conjunctum est necessariò: Nam non potest Christus minister esse sanctuarij cœlestis, nisi minister pariter sit corporis sui tanquam sacrificij. Non enim erat vetus ac typicus Pontifex minister sanctuarij terrestris, nisi qua ratione fuerat simul minister sacrificij. Ergo non potest Christus minister esse cœlestis sanctuarij, nisi idem sit minister alicujus sacrificij, hoc est, corporis sui: *Quod*

fixit

fixit Dominus) Descriptio quædam est veri Tabernaculi. Est enim Tabernaculum fixum, non ab homine, hoc est, non operatione hominis, sed à Domino, hoc est, arcana & secreta Spiritus sancti operatione. Nam Christus conceptus est ex Spiritu sancto. Eodem sensu dicitur Tabernaculum non manufactum, id est, Tabernaculum non hujus structuræ. cap. 9. v. 11.

3 *Omnis enim Pontifex*) Explicatio quędam est qualitatis proximæ de ministerio Tabernaculi corporis Christi. Docet autem necesse fuisse vt ipse haberet quod offerret. Argumentum est à genere ipso, & ab officio & munere Pontificis in genere. Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur, Ergo necesse fuit hunc quoque habere aliquid quod offerret. Habere autem non potuit aliquid, nisi corpus suum. Ergo necessariò fuit minister Tabernaculi corporis sui ipsius. Quòd autem necesse fuit vt haberet Tabernaculum corporis sui quod offerret, ex eo apparet, quod cùm Pontifex sit, non typicus, quales erant illi veteres Leuitici, sed verus, oporteat eum habere sacrificia quę offerret, non typica, h. e. victimas, verùm corpus suum ipsius, quod illis omnibus typicis est adumbratum.

4 *Nam si esset*) Explicat quod dixit de sessione illius ad dexteram Dei, docetque ne-

ceſſariò eum conſidere in cœlis ad dexteram Dei, hoc argumento. Si eſſet in terra ne ſacerdos quidem eſſet, hoc eſt, ſi ei permanendum eſſet ac viuendum in terris his, non poſſet eſſe ſacerdos, quod abſurdum eſt. Ergo non abs re dixi, eum conſediſſe ad dexteram Dei. *Manentibus*) Probat connexionē proximè pręcedentem, nempè quod ſi eſſet in terra, non poſſet ſacerdos eſſe. Si eſſet in terra, manerent adhuc ſacerdotes Leuitici, manentibus autem ſacerdotibus Leuiticis ne ſacerdos quidem eſſet Chriſtus. Ergo ſi eſſet in terra ne ſacerdos quidem eſſet.

5 *Vt qui exemplari*) Probat aſſumptionem proximi ſyllogiſmi: nempè, quod ſi manerent ſacerdotes Leuitici, ne ſacerdos quidem eſſet Chriſtus, ex eo quòd Leuitici ſacerdotes exemplaria quædam ſunt & vmbræ rerum cœleſtium, facti nimirùm ad imaginem & ſimilitudinem rerum cœleſtium. Argumentatio eſt: Leuitici ſacerdotes ſunt exemplaria & vmbræ rerum cœleſtium. Ergo manentibus ijs non eſſet ſacerdos Chriſtus. Sequela nititur propoſitioni quæ intelligitur: nempè non vnà eodemque in loco conſiſtere res cœleſtes cum vmbra ſua. Deſeruire exemplari & vmbræ nihil aliud eſſe videtur, quàm exemplar & vmbram eſſe. Exemplar hoc loco eſt ſubindicatio quædam in græco eſt ὑπόδειγμα, non τύπος. Si-

cut

ent diuinitus) Ratio est, cur Leuitici sacerdotes exemplaria sint & vmbræ rerum cœlestium, ab oraculo siue testimonio Dei quod habetur Exod. 25. 40. Est autem de Tabernaculo ejusque structura. Hoc autem oraculo mandat Deus Mosi, vt faciat omnia ad typum & exemplar, quod ostensum est ei in monte. Ergo voluit Deus Tabernaculum efformari ad typum qui in monte ostensus est: ac proinde hypodigma esse & vmbram rei cœlestis, ac spiritualis, hoc est, typi illius qui ostensus est in monte. Hoc mandatum speciale de Tabernaculo Apostolus in genere intelligi vult de ijs omnibus qui sub lege erant, & ad genus ipsum accommodari. Vnde hoc Dei oraculum siue mandatum de Tabernaculo accommodat ad Leuiticos sacerdotes hoc loco, ex eoque probat eos exemplaria & vmbras esse rerum cœlestium. Atque hæc de argumento quinto præstantiæ Christi. Altera autem comparationis dissimilis pars, de Leuiticis sacerdotibus, suppressa est: quæ sic suppleri potest. At non erant tales Leuitici, nempe qualis hic Pontifex noster. Ergo hic ijs præstantior est.

6 *At nunc* noster ille Pontifex *eo excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est fœderis intercessor quod præstantioribus promissis sanctum est.*

7 *Nam si prius illud tale fuisset vt nihil in eo*

possit requiri, haudquaquam fuisset secundo quæsitus locus.

8 Nam increpans eos, inquit, Ecce dies venient, dicit Dominus, quum pangam cum domo Israel & cum domo Iudæ fœdus nouum.

6 Non secundum fœdus quod feci cum patribus ipsorum, quo die prehendi manum ipsorum vt educerem eos ex Ægypto: nam ipsi non perstiterunt in illo meo fœdere, & ego despexi eos, dicit Dominus.

10 Quamobrem hoc est fœdus quod paciscar domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Indam Leges meas menti eorum, & cordi eorum inscribam: & ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

11 Neque docebunt singuli proximum suum, & singuli fratrem suum, dicentes, Cognosce Dominum, nam omnes cognoscent me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, ad eum vsque qui magnus fuerit inter eos.

22 Ero enim propitius iniquitatibus eorum & peccatis eorum: & iniquitatum ipsorum non recordabor amplius.

13 Dum nouum dicit antiquauit priùs: porrò quod antiquatur ac senescit propè est vt enaneſcat.

At nunc noster) Argumentum præstantię sacerdotis Christi sextum, idem re cum primo, quod fuit capite superiori. vers. 20. & deinceps.

Sump-

Sumptum est à præstantia fœderis, in hanc formam. Præstantioris est fœderis intercessor: Ergo ministerium ejus excellentius est, siue præstantior est Sacerdos. Primo loco est consequens, secundo antecedens. *Quod præstantioribus*) Ratio præstantiæ fœderis à promissionibus, quibus ipsum constat, h.e. ab ipsa fœderis materia. De his promissionibus præstationibus videbimus postea, in allato (quod sequitur) Ieremiæ testimonio. Hìc obserua mentionē fieri duorū fœderum: veteris & noui. Veteris fœderis nomine, non fœdus legale tantùm, quod conditionē habuit operum legalium, neq; gratuitum tantùm, quod cum fœdere legali obscurè propositum fuit, verùm nomine veteris fœderis intelligo vtrumq;, & legale, & gratuitum; Legale cujus expressa mentio facta est: Gratuitū cujus nō nisi obscurè meminit vetus Scriptura. Quod autem veteris fœderis nomine vtrumq; & legale, & gratuitum, accipiendum sit, vel ex eo apparet, quod hoc loco veteri fœderi tribuat interceſſores, h.e. Leuiticos sacerdotes, qui totidem Christi fuerunt typi. Interceſſor autem proprie est gratuiti fœderis. Est quidem etiam fœderis legalis: quia in repetendo fœdere legali inimicitiæ erant inter Deum & populum: vbi autem inimicitiæ ibi interceſsione opus est. Atque ideò Galat. 3. 19. dicitur lex data esse per manum μεσίτου, Mediatoris, nempè

Mosis

Moſis. Hoc autem loco, quo dicitur ſancitum eſſe nouum fœdus præſtantioribus promiſsis, habetur ratio potiſsimùm veteris fœderis, quà legale eſt. Nam præſtantiores ſunt promiſsiones fœderis gratuiti, quàm ſunt legales.

7 *Nam ſi priùs)* Occupatio. At vetus fœdus tale fuit, vt nihil in eo poſſet requiri. Reſpondet, ſi tale fuiſſet vt nihil in eo poſſet requiri, haud quaquam fuiſſet ſecundo quæſitus locus. Similis occupatio fuit cap. 7. verſ. 11.

8 *Nam incuſans)* Aſſumptionis intellectæ ratio eſt à teſtimonio Prophetæ, vel Dei potiùs. Ierem. 31. 31. & deinceps: quo quidem probat ſecundo fœderi quæſitum eſſe locum. Teſtimonium hoc Prophetæ continet promiſsionem noui fœderis conjunctam cum accuſatione populi ob violatum fœdus illud vetus, ideò ait, incuſans eos. *Ecce dies)* Propoſitio eſt noui fœderis pangendi: ſiue præfatio eſt, in qua proponit Dominus, ſe nouum fœdus cum populo ſuo icturum.

9 *Non ſecundum)* Illuſtrat quod dixit de nouo fœdere pangendo, à diuerſitate ſiue diſſimilitudine veteris fœderis, cujus hìc deſcriptio quędam habetur, petita ab ijs quibuſcum ictũ eſt, à patribus nempè; deindè à tempore quo ictum eſt, nempè quo die prehendi &c. Loquitur itàque de fœdere eo quod ictum eſt cum populo, ex monte Sina per Moſen, inter

Deum

Deum & populum, Mediatorem. Fuit quidem illud fœdus legale, ſed non ſiue obſcura aliqua ſignificatione fœderis gratuiti. *Nam ipſi non*) Ratio diſsimilitudinis ſiue diuerſitatis proximæ, à facto, partim populi, partim Dei. Factum populi eſt violatio veteris fœderis: factum Dei eſt rejectio Dei, qua populum ſuum deſpexit.

10 *Quamobrem hoc eſt*) Hactenus præfatio fuit, qua præparatus eſt populus ad accipiendum & audiendum promiſsionem noui fœderis. Priuſquàm autem verba ipſa promiſsionis ſubijciat, rurſus præfatiunculâ quadam populum ſuum præparat, & attentionem captat. *Indam leges meas*) Sequitur ipſum nouum fœdus quod promittit. Eſt autem his verbis prima in nouo fœdere promiſsio. Promiſsio autem eſt Regenerationis, quæ reipſa nihil aliud eſt quàm legis Dei inſcriptio, in mente primùm, deindè in corde. Inſcribitur autem Lex Dei in mente, quum mens renouatur ad imaginem Dei, quę eſt in ſapientia & cognitione. Vide Coloſſ. 3. 10. Inſcribitur autem Lex Dei cordi, quum ipſum renouatur ad imaginem Dei, ſecundum juſtitiam & ſanctimoniam veram. Eph. 4. 24. Non eſt quòd hìc colligant Aduerſarij diſcrimen & differentiam Legis & Euangelij. Quaſi verò lex inſcribatur tabulis, vel lapideis, vel chartaceis: Euangelium verò tabulis

buliscordis carneis; quùm hìc ſermo ſit de ipſa Lege ſiue Decalogo, quem prędicit Propheta inſcribendum demùm cordi, quùm priùs inſcriptus fuerit tabulis lapideis. Vide ſimilem locum. 2. Corinth. 3. 1. & deinceps. *Et ero ipſis Deus)* Secunda promiſſio eſt in nouo fœdere pangendo: promittit (vt ſic dicam) confœderationem, qua fiet, vt ipſe ſit Deus eorum, ij verò ſint populus ejus: hæc enim confœderatio eſt inter Deum & hominem virtute fœderis, alter alterius eſt quaſi poſſeſsio quędam: Deus eſt hominis poſſeſsio quædam, & homo rurſus Dei: verùm hoc diſcrimine: homo poſſidet Deum, vt aliquid ſe ſuperius & excellētius, Deus autem hominem, vt aliquid inferius & ipſi ſubſeruiens, hoc enim populi nomen ſignificat. Talis itaque eſt confœderatio inter Deum & populum ſuum, qualis eſt inter Principem & ſubditos, Dominum & ſeruos.

11 *Neque docebunt*) Tertia promiſsio: Erunt omnes θεοδίδακτοι, docti à Deo, vide Ioā. 6. 45. Sic tractatur. Primùm negat docendos homines aliorum hominum opera: deindè reddit ejus rationem, ab extraordinaria ſcientia & cognitione Dei, qua omnes ſunt imbuendi ſine diſcrimine, puſilli ęquè atq; magni, h. e. omnes erunt θεοδίδακτοι, ac proindè non opus erit doctoribus hominibus. Quod quidem non eſt accipiendum abſolutè & ſimplicitè, quaſi in Eccleſia Chriſti nulli

nulli futuri sint homines qui sunt docturi & adducturi alios ad cognitionē Dei in Christo. Nam Christus postquam ascendit in cœlos, dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Eph. 4. 11. verùm accipiendum est cōparatè, facta nimirùm cum veturi illa Ecclesia comparatione quæ magna ex parte habebat homines Doctores, quia ante Christi exhibitionem, & in cœlos ascensionem, minor erat in hominibus Spiritus sancti efficacia: Nondū erat Spiritus sanctus, quia Iesus nōdum erat glorificatus. Ioan. 7. 29. De complemento hujus promissionis, lege 1. Thes. 4. 9. Ipsi namq; diuinitùs docti estis vt diligatis alij alios. & 1. Ioan. 2. 20. At vos vnctionem habetis à Sancto illo profectā, & nostis omnia. & v. 27. Sed vnctio quam vos accepistis à Deo, manet in vobis, nec necesse habetis vt quisquam doceat vos &c.

12 *Ero enim propitius*) Quarta promissio, nempè remissionis peccatorum.

13 *Dum nouum dicit*) Hoc consectarium est quod infert Author ex verbis Prophetæ, nempè ijs quæ habentur versu 8. (*& cum domo Iuda fœdus nouum.*) Ex eo enim quod Propheta fœdus nouum dixerit fœdus hoc posterius, infert fœdus illud prius eadem opera antiquatum fuisse, ac consenuisse. Ex quo rursus infert & alterum consectarium.

Quod si antiquatum fuit ac consenuit, sequitur tum prope fuisse vt euaneſceret: quod enim antiquatur ac seneſcit vergit ad interitum.

Argumentum Capitis noni.

HOc capite habemus primum argumentum præstantiæ Christi Pontificis septimum, a pluribus Christi prærogatiuis sumptum, ad versum vsque 13. Quo loco digressio est ad versum vsque 24. Vbi redit ad argumentum institutum, & illas Christi prærogatiuas, quas ad fine m capitis persequitur.

CAPVT IX.

H*Abuit igitur prius* fœdus *etiam constitutos religionis ritus, & sanctuarium mundanum.*

2 *Tabernaculum enim constructum fuit: prius* quidem *in quo erant candelabrum, & mensa, & propositi panes, quod Sancta vocant.*

3 *Post medium autem velum* erat *Tabernaculum quod vocant Sancta sanctorum:*

4 *Aureum habens thuribulum, & Arcam fœderis vndique circumtectam auro: in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ germinauit, & Tabulæ fœderis:*

5 *Supra hanc autem Cherubin glorioſi obumbrantes propitiatorium: de quibus non est nunc dicendum singulatim.*

6 *His verò ita ordinatis, in prius quidem Tabernaculum quouis* tempore *ingrediuntur Sacerdotes ritus obeuntes.*

7 *In secundum autem, semel quotannis solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro seipso & pro populi erratis.*

8 Hoc

8 *Hoc declarante spiritu sancto, nondum patefactam fuisse viam ad Sacrarium, priore Tabernaculo adhuc consistente.*

9 *Quod* erat *exemplar pro tempore illo præsenti, quo dona sacrificiaque offeruntur, quæ non possunt conscientia sanctificare cultorem.*

10 *In cibis duntaxat & potionibus, & diuersis ablutionibus ac ritibus carnalibus, vsque ad tempus correctionis imposita.*

11 *Aduenies autem Christus Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius Tabernaculum, non manufactum, id est, non huius structuræ.*

12 *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus.*

Habuit igitur) Transit hoc loco ad Argumẽtum præstantiæ Christi septimum. Agit itaque de fœdere illo priore ac vetere: ac primùm ipsum describit ex ajdũctis duobus: priori, constitutis religionis ritibus, h. e. constitutionibus de ritibus & ceremonijs: posteriori, loco vbi illi ritus peragi solebant, nempè in Sanctuario: quod mundanum ideò vocat, vt distinguat à cœlesti illo in quod ingressus est Christus: mundanum est terrestre & caducum.

2 *Tabernaculum*) κατ' ὑποθεσιν duo illa fœderis siue Tabernaculi adjuncta explicat. Primùm itàque de Tabernaculo agit κατὰ quam præce-

denti

denti versu ἅγιον vocauit. Tabernaculi est obscura quædam distributio in prius & posterius. Prius describitur hoc versu, primùm ex instrumentis sacris, deindè ex rebus sacris, tertiò ex nomine suo. *Lucernæ*) Primùm instrumentum Lucerna, λυχνία siue λυχνέκος fuit qui ad latus Sancti Meridionale collocatus est. *Mensæ*) Secundum instrumentum Mensa, quæ ad latus Sancti Septentrionale collocata erat. *Et propositi panes*) Hæc res sacra est quæ mensæ erat imposita, videlicet, panes propositiij, qui quidem panes dispositi fuerunt seni duobus ordinibus. Leuit. 14. 6. *Quod sancta*) Hoc nomen est prioris Tabernaculi partis.

3 *Post medium*) Periphrasis quędam posterioris Tabernaculi. Dixisset enim, Posterius verò Tabernaculum erat quod vocant &c. verùm pro eo dixit, post medium velum erat Tabernaculum quod vocant &c. ponens pro Tabernaculo posteriori Tabernaculum situm post medium velum. Medium dicit velum respectu primi, quo sanctum distinguebatur ab atrio populi. Vide Exod. 26. 35. 36. Describitur Tabernaculum posterius, primùm à nomine suo, vocant enim illud Sancta sanctorum.

4 *Aureum habens*) Secunda pars descriptionis, ab instrumentis sacris duobus, quorum primum erat thuribulum, altare suffitus, quod extra velum coram arca positum fuisse videtur.

tur Exod. 30. 6. & deinceps. Nam illic expressè dicitur thymiaterium ponendum esse ante velum: deindè præcipitur vt quotidiè suffitus adoleatur, id quod fieri non potuisset si intra velum fuisset collocatum, quippè intra quod semel tantùm in anno ingredi licebat. *Et arcam)* Hoc secundum est instrumentum sacrum, quod rursus describitur, primùm ex ornatu suo, tectorio aureo: deindè ex rebus sacris, quæ in arca erant, vrna aurea habente manna, virga Aaronis quæ germinauit, & tabulis fœderis; è quibus tabulæ fœderis, propriè loquendo, in arca seu intra arcam reconditæ fuerunt: Virga autem Aaronis, itemque manna in vrna reconditum coram arca, reposita fuerunt, vt liquet ex 1. Reg. 8. 9. Exod. 16. 34. 35. Numeri 17. 25.

5 *Supra hanc autem*) Descripta jam est arca ab ijs quæ dicta sunt fuisse in ipsa arca, nempè vrna &c. Nunc describitur ab ijs quæ dicuntur fuisse supra arcam, nempè Cherubinis qui operculo arcæ in duabus oris è regione insistentes, alis ad se inuicem conuersis operculum obumbrabant, inter quas alas gloria Iehouæ, id est, Iehouah gloriosus residebat, & consulentibus responsa dabat. Vide Exod. 25 18. & deinceps 1. Reg. 6. 27. *Gloriosi)* Descriptio est Cherubinorum, primùm ab adjuncta gloria, deindè ab officio: propitiatorium

erat operculum arcæ. *De quibus*) Reijcit ab hoc loco & tempore accuratiorem singulorum istorum explicationem. *His autem ita*) Hactenus de Sanctuario mundano siue Tabernaculo, h. e. de loco, in quo ritus peragi solebant. Nunc de ipsis ritibus, h. e. de altero prioris fœderis adjuncto agitur. His verbis transitio quædam est, quasi dicat, atque hæc hactenus quæ ad Tabernaculum pertinent à nobis ita ordinata sunt & dispositа. Nunc dicendum est secundo loco de ritibus, qui peragi solebant in Tabernaculo.

6 *In prius quidem*) Primo loco agit de ritibus, qui peragebantur in Tabernaculo priori siue sancto: vbi hæc tria habes. Primùm sunt personæ quæ ingrediebantur prius Tabernaculum & ritus obibant: Personæ erant Sacerdotes in genere, tam princeps sacerdotum, quàm sacerdotum vulgus. Deindè mentio fit temporis quo ingrediebantur, & obibant ritus sacerdotes. Tempus est in genere quodcunque & quotidianum. Tertiò habes de ritibus. Ritus erant in genere quicunque, h. e. oblationes omnis generis & preces. Atque ideò vtitur generali verbo rituum, eo significans ritus cujuscunque generis.

7 *In secundum autem*) Hic agit de ritibus qui peragebantur in secundo Tabernaculo, siue Sancto sanctorum, vbi primùm habes de per-

sona,

sona, quæ ritus peragebat, nempe Pontifice solo: deindè habes de tempore quo ingrediebatur in sanctum sanctorum, & peragebat ritus: tempus est vnum tantum, & vnus dies anni cujusque: tertiò habes de ipso ritu qui peragebatur semel quotannis, à Pontifice solo: Ritus erat specialis, nempè oblatio sanguinis, subaudi vituli & hirci, in peluim excepti. Vide Leuit. 16. 2. & deinceps. Quartò habes ritus siue oblationis finem ac vsum: erat autem oblatio sanguinis, primùm pro ipso Pontifice: pro se enim offerebat sanguinem vituli: deindè pro peccatis populi, pro quibus erat oblatio sanguinis hirci.

8 *Hoc declarante)* Sequitur expositio ritus hujus specialis, quem obibat solus Pontifex, semel duntaxat quotannis, idq; non solùm pro populi peccatis, sed etiam pro suis. Expositionem hanc confirmat à Spiritus sancti testimonio. Nam idem ille Spiritus qui ritus instituit, idem, inquam, rituum à se institutorum, & circumstantiarum omnium quæ cum ritibus conjunctę sunt, interpres est & expositor. Expositio autem & declaratio proximi ritus, & circumstantiarum ejus est, quòd priore Tabernaculo adhuc consistente, in quo ritus proximus alijque peragebantur, nondum patefacta fuerit via ad Sacrarium. Id quod indicabatur, partìm ex persona solius Pontificis, cui, alijs

omnibus excluſis, ſoli permiſſum fuerat vt ingrederetur Sanctum ſanctorum, in eoque obiret hunc oblationis ritum: partim ex tempore, quod vnicum erat tantùm in vno anno; partim ex ipſa oblatione, quæ fuit ſanguinis tantùm typici: partim denique ex oblationis fine, qui erat, vt oblatio fieret, non tantùm pro populi peccatis, verùm etiam pro peccatis Pontificis ipſius. Hæc omnia indicabant nondum patefactam fuiſſe viam ad Sacrarium, nempe verum, quod cœlum eſt.

9 *Quod erat*) Occupatio: dici potuit; Quis igitur erat vſus prioris illius Tabernaculi? Reſpondet Tabernaculum illud prius fuiſſe ὑποδειγμα, ſimilitudinem, hoc eſt, exemplar ſeu typum, videlicet alterius Tabernaculi, quod nimirum eſt ipſum Chriſti corpus. Atque hoc primum eſt quo extenuat Tabernaculum illud vetus: alterum eſt à tempore cui inſeruiebat. Tempus erat illud præſens, non quod futurum erat in aduentu Chriſti. Tertium quo extenuat illud vetus Tabernaculum, eſt à donis & ſacrificijs quæ in eo offerebantur, pro tempore illo præſenti: ejuſmodi autem erant ea, quę non poterant conſcientia ſanctificare cultorem, h. e. abolere malam conſcientiam, quæ eſt peccatorum commiſſorum.

10 *In cibis*) Probat illa dona ſacrificiaque, quæ in Tabernaculo offerebantur, non potuiſſe

sse sanctificare conscientia cultorem, à natu-
ra ipsa, & genere earum rerum, quæ dona-
bantur & sacrificabantur: Erant autem car-
nales res & externæ, vtpotè cibi, potiones,
diuersæ ablutiones, ac omninò ritus hujus-
modi. *Vsque ad tempus*) Altera ratio est, cur
non poterant sanctificare conscientia culto-
rem: quia vt erant carnalia tantùm, ita erant
temporaria tantùm, imposita (subaudi) one-
ris instar, vsque ad tempus correctionis, hoc
est, tempus aduentus Christi, in quo hæc om-
nia erant corrigenda, hoc est, abolenda, ingre-
diente nimirùm in locum typorum & vmbra-
rum ipso corpore, quod est Christus.

11 *Aduenienis autem*) Hìc reuertitur ad institu-
tam comparationem noui Pontificis cum vete-
ri illo. Propositio fuit v. 7. de veteri Pontifice,
hìc assumptio est de nouo. In hanc formam re-
digitur argumentatio. Vetus Pontifex semel
quotannìs solus, idq; non sine sanguine, quem
offerebat etiam pro suis peccatis, in sacrarium
terrestre ingrediebatur. At Christus Pontifex,
nimirùm futurorũ bonorũ, in aduentu suo, per
majus Tabernaculum, & per sanguinẽ propri-
um, ingressus est semel in sacrarium cœleste,
eoq; facto nactus est nobis Redemptionem ę-
ternam. Sequitur ergo Christum pręstantiorẽ
esse Pontificem illo veteri. Argumentum est
excellentiæ siue præstantiæ Christi septimum.

Sumptum est à multis prærogatiuis, quibus Christus veterem illum Pontificem exuperat. *Pontifex futurorum)* Non simpliciter Pontificem nominat, sed addit bona illa, siue benedictiones spirituales, quarum est pontifex, h. e. quas Pontificatu suo nobis acquirit. Hoc adjectum est ad majorem Pontificatus Christi commendationem: futura bona vocat, quia tum futura erant, cùm erat vetus Pontifex, quasi dicat, bonorum quæ non erant præsentia tum quum erat vetus Pontifex, sed tantùm futura: Cœperunt autem esse postquàm jam aduenit Christus Pontifex. *Per maius)* Prima prærogatiua Christi Pontificis. Ingressus est per majus & perfectius Tabernaculum, quàm fuit illud vetus per quod ingressus est Pontifex vetus. *Non manufactum)* Hæc verba rationem continent, cur majus & perfectius vocatum sit hoc Tabernaculum. Est autem ab ejus structura, siue à modo ac ratione, qua factum & exstructum est. Non est factum manu, subaudi hominum, h. e. vlla hominum opera, sed factum est manu & operatione ipsius Dei, per Spiritum suum sanctum: intelligit autem Christi corpus siue humanam naturam.

12 *Neque per sanguinem)* Hæc secunda prærogatiua est Christi Pontificis, qua excellit veterem. Cernitur autem hæc prærogatiua in sacrificio quod Christus obtulit. *Semel)* Ter-

tia

tia est prærogatiua. Vetus Pontifex semel quotannis ingressus est Sanctum sanctorum. At Christus semel tantùm omninò ingressus est cœlum. *In sacrarium*) Quarta prærogatiua à loco in quem ingressus est Christus, sacrario cœlesti, quod καταπέτασμα hoc loco (vt etiam supra versu 8.) simpliciter sacrarium vocatum est. *Æternam*) Hæc quinta est prærogatiua. Vetus Pontifex sua oblatione non potuit sanctificare conscientia cultorem. At Christus suo sacrificio æternam redemptionem est nactus.

13 Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem?

14 Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad seruiendum Deo viuo.

15 Itaque ob id noui Fœderis Mediator est: vt imorte intercedente ad redemptionem earum prævaricationum quæ fuerant sub priore Testamento, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent.

16 Nam vbi Testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris.

17 Testamentum enim in mortuis rarum est: quandoquidem nondum valet quum viuit testator.

18 Vnde ne primus quidem illud absque sanguine

dedicatum fuit.

19 *Quum enim Moses omnia mandata secundum Legem recitasset toti populo, sumpto sanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina & hyssopo, simul & ipsum librum & totum populum aspersit.*

20 *Dicens, Hic est sanguis Testamenti quod mandauit vobis Deus.*

21 *Insuper autem & Tabernaculum, & omnia vasa sacrorum, sanguine similiter aspersit.*

22 *Et omnia ferè secundum Legem sanguine purificantur: & absque sanguinis effusione non fit remissio.*

23 *Itaque necesse fuit exemplaria quidem eorum quæ sunt in cœlis, hisce rebus purificari, ipsa verò cœlesti a potioribus quàm hæ sunt victimis.*

Nam si sanguis) Digressio est à præsenti instituto, in quo probat proximam Christi Pontificis prærogatiuam. Argumentum sumptum est à minori comparatione efficaciæ sanguinis taurorum, & hircorum &c. ad sanctificandum exteriùs carnem, & efficaciæ sanguinis Christi, ad purgandam interiùs conscientiam. Argumenti forma est. Si sanguis taurorum & hircorum &c. sanctificat ad carnis puritatem, quantò magis sanguis Christi &c. purgabit conscientiam &c. At primùm, Ergo secundum. *Sanguis taurorum*) Vide Leuit. 16. *Cinis Iuuencæ*) Vide Numer. 19.

verſ. 4. & deinceps: vbi leges cinerem Iuuencæ combuſtæ, aqua miſtum fuiſſe, eaque aqua inquinatos fuiſſe aſperſos. *Ad carnis*) Hìc ſeorſim capit vmbras à rebus ipſis adumbratis.

14 *Quantò magis*) Apodoſis comparationis. *Qui per Spiritum*) Hìc duo argumenta inſeruntur, quibus probat efficaciam ſanguinis Chriſti ad purgandas conſcientias. Primum argumentum eſt à principali offerente illum ſanguinem, nempè Spiritu æterno, hoc eſt, æterna Chriſti Deitate, quæ in offerendo Chriſtum primas habuit partes. Chriſtus quidem Sacerdos fuit, ſeſeque obtulit, fateor, vt Deus & homo, verùm Deitatis primæ erant partes. *Inculpatum Deo*) Hoc alterum argumentum eſt, à ſanctitate humanæ naturæ, quæ à Deitate oblata eſt Deo. Oblatus quidem eſt totus Chriſtus Deus & homo, verùm humanæ naturæ propriè & prę cipuè oblatio eſt facta. Quemadmodum natura quæ obtulit diuina fuit præcipuè ac propriè. *Purgabit*) Purgare conſcientiam hoc lòco eſt abolere peccata quæ malam efficiunt conſcientiam. *A mortuis*) Hic eſt quaſi terminus à quo procedit purgatio, opera nimirùm mortua, hoc eſt, peccata: quæ ideò mortua dicuntur, quòd mortem peccantis gignant. Nam finis & ſtipendia peccati mors. Rom. 6.21.23.

Ad

Ad seruiendum) Hic terminus est ad quem procedit purgatio, nempè opera viua & bona quæ posita sunt in eo vt seruiatur Deo viuo. Deus ideo viuus dicitur, non tantùm quia ipse viuit, verum etiam quia eos qui ipsi seruiunt viuificat, quemadmodum peccata morte afficiunt seruos suos.

25 *Itaque ob id*) Malim retinere propriam significationem particulæ ὅθεν vt legatur. Et, vel, atque ob id. Habetur enim hoc versu alterum argumentum, quo probat Christum Pontificem nactum nobis æternam redemptionem. Sumptum est à fine cur sit Christus Mediator noui fœderis siue Testamenti. Finis est, vt accipiamus promissam illam ęternam hæreditatem, h. e. vt nos in æternum redimat. Media per quæ hæreditas ista à Mediatore fœderis ad nos peruenit, hæc sunt. Primùm intercedit mors Mediatoris siue sponsoris. Deindè sequitur vocatio efficax: hanc excipit redemptio præuaricationum, h. e. remissio peccatorum. Remissionem peccatorum denique sequitur hęreditas, siue glorificatio. *Quæ fuerant*) Remissionem peculiariter tribuit peccatis quæ commissa erant sub veteri Testamento, ea re significans, non fuisse eam veteris Testamenti efficaciam ad ea abolenda: verùm toto veteris Testamenti tempore Deum ea præterijsse & toleraſſe, aduentu autem Christi & noui Testamenti

ſtamenti, quod ad remiſsionem peccatorum efficax eſt, jam ea planè remiſiſſe & aboleuiſſe. Vide Rom. 3. 25. 26. *Promiſſionem*) h.e. hæreditatem promiſſam. Sic promiſsionis nomen accipit Apoſtolus Rom 4. 13.

16 *Nam vbi Teſtamentum*) Probat non niſi morte intercedente, Chriſtum Mediatorem eſſe noui fœderis ſeu Teſtamenti. Argumentum eſt à natura Teſtamenti, quę neceſſariò poſtulat Teſtatoris mortem intercedentem, ſiue argumentum eſt a neceſſario Teſtamenti adjuncto, quod eſt intercedens mors Teſtatoris. Sequitur ergo ad hoc vt ſit Chriſtus Mediator noui Teſtamenti, ſiue quod idem eſt, nouum teſtamentum ſit Chriſti Teſtamentum, neceſſe eſſe vt Chriſti mors intercedat.

17 *Teſtamentum enim*) Probat mortem intercedentem neceſſarium eſſe Teſtamenti adjunctum, ab effecto quodam mortis, quod in eo cernitur, vt ratum faciat Teſtamentum, in hanc formam. Mors teſtatoris eſt quæ ratum facit teſtamentum. Ergo vbi teſtamentum, ibi mors intercedat neceſſe eſt: alioqui enim ſine morte teſtatoris ratum eſſe teſtamentum non poteſt. *Quandoquidem*) Probat hoc mortis Teſtatoris effectum, à contrario vitæ teſtatoris effecto. Teſtator dum viuit non valet neq; ratum eſt ejus Teſtamentum. Ergo mortuo demùm teſtatore valet, & ratum eſt ejus Teſtamentum

mentum.

18 *Vnde ne prius*) Hoc alterum argumentum est, quo probat, non nisi intercedente morte Christum esse Mediatorem noui fœderis, siue Testamenti. Sumptum est a similitudine veteris Testamenti, quod & ipsum Deo non est dedicatum absq; sanguine. Quamobrem nouum etiam Testtamentum necessariò postulat sanguinem Mediatoris.

19 *Cum enim*) Probat ex effectis aliquot Mosis depromptis ex libro Exod. 24. vetus Testamentum absq; sanguine dedicatum, & Deo consecratum, non fuisse. Primum Mosis effectum fuit, quo sumpto sanguine vitulorum & hircorum &c. simul & librum & totum populum aspersit. Hoc effectum Mosis circumscribitur suo tempore, nempè postquàm Moses omnia mandata &c. Mandata secundum legẽ intelligit, mandata illa quæ in lege Dei erant comprehensa. *Cum aqua*) Harum rerum non quidem fit expressa mentio Exo. 24. vnde hęc recitantur, verùm istas tanquam ordinariè adhibitas tum quoq; fuisse, colligitur ex alijs locis, vbi ista diserte prędipiuntur. *Librum*) nempè fœderis. *Totum populũ*) Id est, duodecim statuas, quas illic erexerat ad repręsentandũ duodecim Tribus Israelis. Quemadmodum per altare repręsentabatur Deus fœdus cum illis contrahens.

20 *Dicens*

20 *Dicens hic est*) Hoc est verbum cum signo conjunctum, quo signum siue ritus externus explicatus est a Mose. In Sacramẽto enim duo sunt, signum visibile & verbum audibile. *Hic est sanguis*) Sensus est, hic sanguis quem habeo in crateribus, est sanguis Testamenti. Explicat enim Moses vsum illius sanguinis quẽ habebat in crateribus, quoq; populum aspergebat.

21 *Insuper autem*) Pergit in effectis Mosis. Vt librum & populum totũ, sic Tabernaculum & omnia vasa sacri ministerij sanguine asperſit.

22 *Et omnia*) Inductionis compendium est, *Secundum legem*) id est, legalia, siue ad legem pertinentia, h. e. ad vetus testamentum, quod hic Lex appellatur. *Et absque*) Vt proxime docuit ipsum vetus Testamentum non fuisse consecratum Deo sine sanguine; ita hìc docet vetus Testamentum impletum non fuisse absque sanguinis effusione. Implebatur autem vetus Testamentum, cùm peccata populi remissa fuerunt, quorum in ipso fœdere remissio erat promissa. Ergo vt fœdus ipsum non erat ictum sine sanguine, ita neque impletum erat sine sanguine. Sic res se habet in nouo fœdere, in quo, & propter sanguinem Christi paciscitur nobiscum Deus nouum fœdus, & propter eundem illum sanguinem fœdus illud ictum implet & exequitur in nobis justificandis & seruandis.

Itaque

23 *Itaque neceſſe*) Concludit neceſsitatem mortis Mediatoris noui fœderis, quam probandam ſuſcepit verſ. 16. Concluſio illuſtrata eſt per diſsimilitudinem vmbrarum, & figurarum, ac ſi dixiſſet: Quamobrem vt neceſſe fuit vmbras rerum cœleſtium purificari, & dedicari rebus iſtiuſmodi carnalibus, vt ſanguine vitulorum & hircorum: ita neceſſe fuit res ipſas cœleſtes in nouo fœdere purificari ſanguine Mediatoris Chriſti. Victimas appellat quũ tamen vna fuerit Chriſti victima fortaſsis propter vnius illius victimæ, multiplicem vſum, in purgandis multis rebus cœleſtibus & ſpiritualibus.

24 *Non enim in manufactum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus, quod ſit exemplar vero* ſacrario *reſpondens: ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis.*

25 *Neque vt ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno.*

26 (*Alioquin oportuiſſet eum ſæpè paſſum fuiſſe à condito mundo*) *ſed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum, ab abolendum peccatum, per immolationem ſuiipſius patefactus eſt.*

27 *Et ſicut illud ſtatutum eſt hominibus vt ſemel moriantur, poſteò verò iudicium.*

28 *Ita & Chriſtus ſemel oblatus vt multorum peccata tolleret, altera vice abſque peccato conſpicietur*

etur ijs qui ipſum expectant ad ſalutem.

Non enim in) Hactenus digreſsio fuit. Nunc reuertitur ad inſtitutam comparationem Pontificis Chriſti, & veteris Pontificis; & ad prærogatiuas illas Chriſti Pontificis, de quibus verſibus 11. & 12. Occaſio arrepta eſt ex proximis verbis, quibus dixit Chriſtum potiorem eſſe victimam omnibus victimis illis Legalibus. Hinc de præſtantia Chriſti Pontificis agit. Primò autem repetit prærogatiuam illam quę fuit ſuprà ver. 12. eaque cum pręfert veteri Pontifici Vetus Pontifex ingreſſus eſt ſacrarium manufactum, quod exemplar duntaxat fuit vero ſacrario reſpondens. At Chriſtus nouus Pontifex, non ingreſſus eſt in manufactum ſacrarium &c. ſed in ipſum cœlum &c. *Vt apparet*) Ingreſſus Chriſti in cœlum à fine ſuo commendatur, qui eſt vt apud Deum interpellet pro nobis Rom. 8. 38. 1. Ioan. 2. 1.

25 *Neque vt ſæpe*) Hoc verſu habes repetitam ſecundam & tertiam prærogatiuam: de quibus ſuprà verſu 12. quibus ipſis ſuperat veterem illum Pontificem. Vetus Pontifex ingreſſus eſt in Sacrarium cum ſanguine alieno. At Chriſtus ſemetipſum obtulit. Vetus Pontifex ſæpè obtulit, nempè quotannis. At Chriſtus, non ſępè, ſed ſemel tantùm obtulit.

26 *Alioqui oportuiſſet*) Probat Chriſto non ſępè fuiſſe offerendum ſemetipſum, ab abſurdo, eo-

do, eoque duplici. Primùm est quia si oportuisset eum sæpe se offerre, oportuisset eum non modò sępe passum esse, sed etiam sępe passum esse à condito mundo: In hanc formam. Si oportuisset Christum sæpe offerre semetipsum, oportuisset eum sępe passum & mortuum fuisse à condito mundo: At hoc est absurdum. Ergo &c. Sequela propositionis sic ostenditur. Primùm quia offerri Christum, est pati eum ac mori. Deinde quia si vnica Christi oblatio semel facta suo tempore non sufficiat ad abolitionem omnium peccatorum inde à condito mundo, prętteritorum, præsentium, & futurorum, sed oportuisset eum sæpè offerri, profectò initium mortis ipsius petendum fuisset à condito mundo, quò nimirùm tempore cœpit peccatum. Nam si sæpè fieri debeat oblatio pro peccato, certe necesse est incipiat oblatio quo tempore primùm peccatum cœpit & commissum est. *Sed nunc*) Correctio quędam est, qua pronunciat Christum, non sæpe, sed semel passum esse, non à condito mũdo passum, sed in consummatione seculorum, h. e. postquam venit plenum illud tempus, à Patre scilicet constitutum. Gal. 4. 4. *Ad abolendum*) Hic finis cur Christus semel sit passus tantùm, idque in consummatione seculorum. Est autem ad abolendum peccatum, in genere omnium temporum, prętteriti, præsentis, futuri.

Et

27 *Et sicut*) Vt videtur occurrit scandalo passionis Christi, ex eo quod oblationem istā semel factam ingens Christi gloria consecuta sit, ostendens secunda vice abtq; peccato conspiciendum esse .i. cum gloria, vtpote glorioſū mundi Iudicem. Illustratur hæc sententia similitudine sumpta ab hominibus, quorum mortē non iteratam, sed semel factam, idq; ex Dei instituto, sequitur iudicium. Generale illud iudicium videtur intelligere in quo Iesus Christus futurus est Iudex. Sic & Christus, post oblationem ipsius factam, conspicietur glorioſus ille Iudex, ad salutē ipsorum qui illum expectant ad judicium illud venturum. *Multorū peccata*) Innuit efficaciam vnicæ oblationis Christi semel factę. Nam vnica illa oblatio efficax est ad tollenda, non vnius, tantùm, sed multorum peccata. *Absque peccato*) Nempè quod ipsi, cum oblatus est in cruce, imputatum est. Nam qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum factus est, vt nos efficeremur Iustitia Dei in eo. 2. Cor. 5. 21. Peccato imputato dicitur Christus mortuus fuisse semel.

Argumentum Capitis decimi.

HOc capite primum alijs duobus argumentis ostendit Christum non sæpius offerendum, sed vnicam eius oblationem sufficere, adverſ. 19. Deinde redit ad institutam exhortationem, ad perseuerantiam in fide: eiusque argumenta duo adducit, nonum & decimum, ad versum vsque 26. Tertio vndecimum est exhortationis argumentum. in quo immoratur ad verſ. 32. Postremo dehortatur ab Apostasia, argumento sumpto ab afflictionibus, quas iam ante

perpessi sunt pro fide, ad finem capitis. Vbi obiter etiam inferuntur argumenta exhortationis principalis duo, duodecimum & decimumtertium.

CAPVT X.

1 *Lex enim vmbram obtinens futurorum bonorum, non expressam formam rerum, ijs hostijs quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare.*

2 *Alioqui desijssent offerri, propterea quòd sacrificantes, semel purgati, nullorum peccatorum amplius essent sibi conscij.*

3 *At in istis* fit *repetita mentio peccatorum quotannis.*

4 *Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.*

5 *Quapropter ingrediens mundum, dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.*

6 *Holocautomata & hostiam pro peccato non approbasti.*

7 *Tunc dixi, Ecce adsum (in capite libri scriptum est de me) vt faciam, Deus, voluntatem tuam.*

8 *Quum superius dixisset, Sacrificium & oblationem, & holocautomata, & hostiam pro peccato noluisti, neque approbasti (qua iuxta Legem offeruntur)*

9 *Tunc dixit, Ecce adsum vt faciam, Deus, voluntatem tuam. Tollit prius vt posterius statuat.*

10 *Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem*

sionem corporis Iesu Christi semel factam.

11 Omnis igitur Sacerdos adstat quotidiè operans, & easdem sæpiùs offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata.

12 Hic verò vna pro peccatis oblata victima, in perpetuum consedit ad dextram Dei.

13 Id quod superest expectans, donec inimici ipsius scabellum pedum eius fiant.

14 Vnica enim oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur.

15 Testificatur autem hoc nobis, & ipse Spiritus sanctus: nam postea quàm prædixit,

16 Hoc est fœdus quod paciscar cum eis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas cordibus eorum, & eorum mentibus eas inscribam.

17 Et peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordabor amplius.

18 Porrò vbi est horum remissio, non est amplius oblatio pro peccato.

Lex enim vmbram) Sequitur argumentum secundum, quo ostendit Christum non sæpè offerendum fuisse, sed vnicam ejus oblationem sufficere: in hanc formam. Per oblationem corporis Iesu Christi semel factam sanctificamur. Ergo non opus est sæpè semetipsum offerat. Argumentum est ab effecto vnicæ illius oblationis, nempè perfectione & sanctificatione nostri. Integer syllogismus hic est. Si vnica Christi oblatio semel facta sanctificet, non

opus est vt ipse sæpiùs se offerat. At primum, Ergo secundum. Syllogismi hujus propositio non est in textu expressa: assumpto habetur postèà, vers. 10. Conclusio intelligenda relinquitur. Illustratio assumptionis a dissimili effecto sacrificiorum legalium præcedit ad initio capitis, ad vers. 10. Dissimilitudo hæc est, Sacrificia legalia sæpiùs oblata non sanctificant. At oblatio Christi semel facta sanctificat. Protasis dissimilitudinis de legalibus sacrificijs ostenditur pluribus argumentis. Primum habetur versu primo, à natura eorum quæ lege continentur. Sunt tantùm vmbra & rudis quædam delineatio futurorum bonorum, non autem expressa imago viuis suis coloribus depicta: Argumenti forma est. Lex tantùm vmbram obtinet &c. Lex ergo & legalia sacrificia, quæ singulis annis continenter offeruntur à Pontifice, nunquam possunt accedentes sanctificare.

2 *Alioqui nonne*) Secundum argumentum. Si sacrificia legalia per se sanctificâssent, annō desijssent offerri? Atqui non desierunt offerri: Ergo non sanctificârunt. *Propterea quod*) Probat connexionem, facta semel bona conscientia nō ampliùs opus est oblatione. At si sanctificassent legalia sacrificia feciſſent bonam cōscientiā. Ergo si sanctificassent desijssent offerri. Argumentum sumptum est à natura sancti-

ficati-

ficationis, quę nihil aliud eſt, quam conſcientię purgatio, abolitio malæ cõſcientię, quę eſt ipſa peccatorum conſcientia, & effectio bonę conſcientiæ. *Qui ſacrificaſſent*) Cultores vocat cap. 9. v. 9. vbi dicit ſacrificia illa non poſſe ſanctificare conſcientia cultorem.

3 *Atqui in*) Argumentum tertium à conjuncta ſiue adjuncta cũ anniuerſarijs illis ſacrificijs legalibus, omnium ſuperiorũ peccatorum mentione repetita. Quoties enim oblatio facta eſt, toties mentio facta eſt ſuperiorum peccatorũ. Sequitur ergo non habuiſſe ſacrificia illa vim ſanctificandi & abolendi peccata: ſi enim jam expiata erant peccata illa quorſum repetebantur, h. e. ſi per priora ſacrificia expiata & obolita erant, quorſum cum poſterioribus ſacrificijs repetita eorum mentio fiebat? De his vide Leuit. 16.

4 *Non enim poteſt*) Argumentum quartum ab impotentia ſanguinis taurorum & hircorum. Oblationes illæ legales erant ſanguinis tantùm beſtiarum. Atqui ſanguis beſtiarum non poteſt auferre peccata. Ergo oblationes illæ non poſſunt ſanctificare. Sanctificare & auferre peccata, idem ſunt hoc loco. Obſerua toto hoc loco, figuras ſiue typos ſeorſim conſiderari à rebus ipſis figuratis.

5 *Quapropter*) Ex proxima demonſtra-

tione, qua oſtenſum eſt legalia ſacrificia non ſanctificare, infert ſublata eſſe ea, vt voluntas Dei de Chriſti ſacrificio ſtatueretur & poneretur: In hanc ſententiam primùm affert verba Pſalmiſtæ de Chriſto loquentis. Pſal. 40. ad verſum vſque 8. Deinde ea verba interpretatur, ad verſum 10. *Ingrediens mundum*) id eſt, Dei Filius, quo tempore homo factus eſt. *Dicit*) Introducitur à Pſalmiſta Dei Filius pronuntians ſublata eſſe à Patre ſuo ſacrificia legalia. Nam hic eſt ſenſus hujus loci, ad verſum vſque ſeptimum: vt Apoſtolus ipſe interpretatur verſ. 9. quum dicit *Tollit prius*. In hanc ſententiam ſunt omnia quæ dicuntur duobus his verſibus, excepto hoc quod inſeritur de corpore ipſi aptato, quibus verbis receditur à vocibus ijs, quæ habentur illo Pſalmo: Nam illìc habetur, (*Aures perforaſti mihi*) pro quo hìc legitur (*Corpus aptaſti mihi.*) Sed ſenſus eſt planè idem. Nam vtrobique intelligitur Filium Dei formatum eſſe ad ſummum obſequium & obedientiam Patris ſui. Hoc enim ſignificatur phraſi illa, quę habetur in Pſalmo de aurium perforatione, quę ſignum erat ſeruitutis perpetuę. Hoc quoque ipſum ſignificatur aptatione iſta corporis, h.e. naturæ humanę aptatæ Deitati Filij Dei, quo factum eſt, vt formam ſerui acceperit, ad hoc vt ſeſe ſubmitteret Patri, & obediens fieret ad mortem, mortem autem

autem crucis. Quæ alij afferunt ad locorum duorum conciliationem, ego hìc prętereo.

7 *Tunc dixi*) His verbis habes finem, cur ſublata ſint ſacrificia legalia: nempe vt locus eſſet voluntati Dei de Filio ſuo Chriſto, ipſiuſque ſacrificio. Hìc enim profitetur Filius promptitudinem ſuam ad ſeſe offerendum & moriendum, ex Patris ſui voluntate. *In capite*) h. e. in volumine veteris Teſtamenti, vel librorum Moſis, quorum volumen dictum eſt κεφαλὶς metaphoricè à ſpecie, eò quòd conuolutum & cõplicatum libri corpus (vt libri quidem fuerunt veteres) quaſi opus capitatum eſt. Porrò his verbis contineri videtur argumentum obedientiæ Chriſti quam hoc loco ipſe prædicat. Argumentum eſt, quia ſic de eo in veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Sequitur ergo neceſſariò ipſi faciendum eſſe quod vult Deus Pater, vt conſtet Scripturæ ſacræ ſua veritas, & Deus juſtificetur in ſermonibus ſuis. Rom. 3. 4.

8 *Quum ſuperius*) Sermonem hunc Chriſti qui habetur Pſal. 40. Apoſtolus exponit de abolitione ſacrificiorum legalium, & conſtitutione obedientiæ & ſacrificij Chriſti. Nam priora Chriſti verba ſignificant (interprete Apoſtolo) ſublata eſſe ſacrificia legalia: poſteriora verò, quibus dicit, Ecce adſum &c. ſignificat Chriſti ſacrificium ſtatutum.

10 *Qua voluntate*) Hactenùs fuit illuſtratio

assumptionis syllogismi, qui hujus loci est, à dissimilitudine legalium sacrificiorum. Nunc autem habetur ipsa assumptio, siue dissimilitudinis apodosis. Nam dissimilitudinis membra hæc sunt. Legalia sacrificia sæpiùs oblata non sanctificant, Christi verò oblatio semel facta sanctificat. Notandum quod sanctificationis hoc effectum tribuat primùm voluntati Dei, tanquam caussæ, deindè oblationi corporis Christi, quia oblatio corporis Christi fuit ex Dei voluntate. Iure igitur effectum oblationis Christi adscribitur Dei Patris voluntati, vt ipsi cum Filio suo sit gloria sanctificationis nostræ.

11 *Omnis igitur Sacerdos*) Hìc repetit integram dissimilitudinem: Protasis dissimilitudinis de hostijs legalibus habetur hoc versu 11. Apodosis verò tribus sequentibus. *Quæ nunquam*) Hoc idem est cum eo quod dixit vers. 1. Nunquam possunt sanctificare seu perficere. Nam perfectionis quæ effectum est oblationis Christi, pars quædam est peccati abolitio, siue remissio. In hac itaque parte totum intelligitur.

12 *Hic verò*) Apodosis dissimilitudinis quæ syllogismi assumptio est. *Sedet ad dexteram*) Iusta dissimilitudo postulabat vt diceretur, Christus vnica pro peccatis victima oblata, in perpetuum durante, sanctificat nos: verùm pro sancti-

ſanctificatione poſuit ſeſſionem Chriſti ad dexteram Patris, quæ ſanctificationis noſtri conſequens eſt, & neceſſariò eam antegredientem præſupponit. Nam tum demùm cœpit Chriſtus ſedere ad dexteram Dei, & gloriam ſuam adeptus eſt, quum victima ſua ſemel oblata, ſuos ſanctificaſſet ac perfeciſſet. Vnde poſteà verſu. 14. ſeſſionis hujus ad dexteram Dei rationem reddit ex eo quod vnica ſui oblatione ſuos ſanctificarit.

13 *Id quod (ſupereſt)* Hæc verba innuunt nondum eſſe perfectam & completam Chriſti, etiam ſedentis ad dexteram Patris, gloriam. Nam Chriſtus ad dexteram Patris ſedens, expectat donec inimici ipſius ſcabellum pedum ejus fiant. Confer hunc locum cum eo qui eſt 1. Corinth. 15. 24. 25. 26. *Conſecrauit in*) Senſus eſt: Perfecit atque abſoluit eos, qui ſanctificantur: quo ſignificat perfectionem hanc poſitam in ſanctificatione.

15 *Teſtificatur autem*) Sequitur argumentum tertium, quo oſtendit Chriſti oblationem illam ſemel factam ſufficere. Argumentum eſt ab effecto illius oblationis, peccatorum remiſſione & ablitione, quæ pars quædā eſt perfectionis, qua pro argumēto vſus eſt proximè. Nam perfectionis nomen (vt mihi videtur) comprehendit in ſe omnia ſimul beneficia, quę Chriſtus morte ſua nobis promeritus eſt, in quibus cenſetur

ſetur peccatorum remiſsio. Syllogiſmus eſt. Vbi eſt peccatorum remiſsio, non eſt ampliùs oblatio pro peccato. Atqui ex vnica Chriſti oblatione eſt peccatorum remiſsio. Ergo non eſt ampliùs oblatio Chriſti, ſiue ſufficit vnica illa oblatio. Aſſumptionem confirmat teſtimonio Spiritus ſancti loquentis Ierem. 31. 33. Primùm præfatur Spiritum ſanctum hoc nobis teſtificari. Deindè teſtimonium Spiritus in medium adducit, in quo teſtimonio promiſsio facta eſt remiſsionis peccatorum omniũ. Peccatorum iſta remiſsio promiſſa intelligenda eſt futura in ſanguine Chriſti, qui noui fœderis Mediator eſt. Vide quæ de hoc teſtimonio diximus ſuprà cap. 8. verſ. 8. & deinceps.

18 *Porrò vbi*) Syllogiſmi propoſitio.

19 *Quum igitur fratres, habeamus libertatẽ ingrediendi Sacrarium per ſanguinem Ieſu,*

20 *Eam viam quam dedicauit nobis recentem & viuam per velum, hoc eſt, per carnem ſuam.*

21 Quumque habeamus *Sacerdotem magnũ, præfectum domui Dei.*

22 *Accedamus cum vero corde, & certa perſuaſione fidei, puris cordibus à conſcientia mala.*

23 *Et aboluto corpore aqua pura, teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem: (fidelis enim eſt qui promiſit.)*

24 *Et obſeruemus alij alios, vt nos acuamus ad charitatem & bona opera.*

25 *Non*

25 *Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos* est *quibusdam, sed adhortantes* alij alios, *idque eo magis quòd videtis illum diem appropinquare.*

Quum igitur fratres) Hactenus de Pontificatu Christi, inde à principio capitis ad hunc vsque locum. Nunc redit ad institutam exhortationem, qua ad perseuerantiam in fide adhortatur. Hìc itaque habemus exhortationis argumentum nonum quod sumptum est à libertate ingrediendi sacrarium cœleste: in hanc formam. Quum habemus libertatem ingrediendi sacrarium, accedamus cum vero corde &c. At habemus libertatem ingrediendi sacrarium. Ergo accedamus. *Per sanguinem*) Libertatem hanc ingrediendi sacrarium explicat, ex caussa efficiente meritoria, siue pretio quo redempta est; nempè Christi sanguine.

20 *Ea via*) Libertatem ingrediendi explicat deindè à via per quam ingredimur Sacrarium cœleste. Viam hanc describit, primùm ex eo quod dedicata sit à Christo & consecrata. Deindè ex eo quod recens sit. Tertiò ex eo quod viua sit. Quartò viam ipsam expressè nominat, vocatque velum, h. e. vt ipse exponit carnem Christi, quam velum vocat per allusionē ad velum quod prætendebatur Arcæ Dei, quę collocabatur in sancto sanctorum. Sic enim naturæ humanæ velum prætenditur Deitati Christi,

Christi, cujus typus erat arca fœderis.

21 *Quumque habeamus*) Hoc exhortationis argumentum est decimum, à præfecto domus Dei, siue sacrarij in quod ingrediendum est. Is autem est idem ille Pontifex magnus, de quo hactenùs. Cum igitur & aditus pateat ad sacrarium cœleste, & Pontifex noster sit præfectus domui Dei, siue sacrario, quid vetat quo minùs ingrediamur & accedamus? De Christi præfectura in domo Dei, vide suprà 6. 3. At Christus vt Filius domui suæ præest.

22 *Accedamus*) Hæc altera est pars propositionis consequentiæ, quæ incepta est à vers. 19. Continet autem plures in se partes, siue membra plura, quorum primum habetur hoc versu. Est autem opus fidei, quod cernitur in accedendo ad sacrarium, siue in ingrediendo Sacrarium cœleste. In accedendo tria requirit. Primum cor verum, h. e. sinceritatem cordis, quod Paulus cor purum vocat. 1. Timoth. 1. 5. Secundum est πληροφορία fidei, quam eodem sensu illo loco Paulus fidem ἀυτοκρατῶν appellat. Tertium est purificatio cordium à conscientia mala, quam Paulus illo loco bonam conscientiam nuncupat. His igitur tribus modis oportet affectum esse ejus animum, qui accedit ad sacrarium illud cœleste.

23 *Et abluto corpore*) Secundum membrum est posterioris partis propositionis consequē-

tiæ

tiæ, de qua diximus. Eſt autem perſeuerantia in opere ſpei. Opus ſpei eſt confeſsio non vacillans, h. e. conſtans confeſsio quæ ſpei tribuitur, quia ſpes vitæ æternæ facit vt confiteamur Chriſtum coram mundo. Gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. Rom. 5. 2. In tenenda confeſsione ſpei requirit corpus ablutum aqua pura, h. e. ſanctificationem hominis, quam adumbrat per legales & externas ablutiones ſordium corporis. Aquam puram intelligit Spiritum Dei ſanctum, cujus typus quidem erat aqua illa legalis, & cujus ſymbolum eſt aqua Sacramenti Baptiſmi. *Fidelis enim*) Rationem perſeuerantiæ in confeſsione ſpei inſerit, à natura, hoc eſt, veritate ſiue fidelitate Dei promitttentis. Deus qui promiſit natura ſua verax eſt & immutabilis. Ergo perſeueremus in confeſsione ſpei gloriæ illius quam promiſit Deus.

24 *Et obſeruemus*) Hoc tertium eſt membrum propoſitionis, eſt autem charitatis opus poſitum in obſeruatione noſtri mutua. *Vt nos acuamus*) Obſeruationem quam dixit, in eo ponit, vt alij alios viciſsim acuamus ad charitatem, & charitatis opus.

25 *Non deſerentes*, Quartum eſt propoſitionis membrum, ad quod quarto loco adhortatur. Cõtinet exercitiũ pietatis, quod cernitur in celebrandis ſacris cœtibus & coïtionibus Sanctorum

torum, quas hìc ἐπισυναγωγὴν nomine intelligit. Primùm dehortatur à deſertione Eccleſiaſticorum cœtuum: deinde adhortatur ad eorum celebrationem, quam intelligit cùm dicit, adhortantes alij alios, h. e. in vnum coeuntes, vt adhortatione, inſtructiones, conſolationes, & cætera, hujuſmodi officia, in Eccleſia Dei habeantur. *Sicuti*) Obiter reprehendit nonnullos, qui cœtus ſacros non frequentabant. *Id ipſe eo magis*) Exhortationis hujus argumentum, à propinquitate vltimi illius diei, cujus teſtem appellat ipſorum conſcientiam (videtis) inquit, h. e. hujus rei ipſi eſtis conſcij.

26 *Nam ſi vltrò peccauerimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc propeccatis reliqua eſt hoſtia,*

27 *Sed horrenda quadam expectatio iudicij, & ignis feruor, qui deuoraturus eſt aduerſarios.*

28 *Qui contempſerit Moſis Legem abſque miſericordia ex duorum aut triũ teſtimonio moritur,*

29 *Quanto (putatis) acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur qui Filium Dei conculcarit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?*

30 *Nouimus enim eum qui dixit, Meum eſt vlciſci, ego rependam, dicit Dominus. Et rurſum, Dominus iudicabit populum ſuum.*

31 *Hor-*

31 *Horrendum eſt incidere in manus Dei viui.* *Non ſi vltrò*) Argumentum ſuperiorum exhortationum, à pœna apoſtaſiæ & defectionis: quaſi dicat, ſi non perſtiterimus in fide, in ſpe, in charitate &c. ſed poſt acceptam veritatis cognitionem vltrò peccauerimus, non adhuc &c. *Vltrò peccauerimus*) His verbis habetur deſcriptio quędam Apoſtaſię, ſiue defectionis, ſiue peccati in Spiritum ſanctum. Primùm eſt peccatum, deindè eſt peccatum in veritatem ipſam, h. e. in Euangelium Chriſti: Nam qui peccat in Spiritum ſanctum, oppugnat ipſum Euangelium. Tertiò eſt peccatum in veritatem Euangelij agnitam: Nam qui peccat in Spiritum ſanctum, non ex ignorantia, ſed ex ſcientia, & contra conſcientiam ſuam peccat. Quartò peccatum eſt quod vltrò admittitur, & ſponte, hoc eſt, ex malitioſo animi propoſito. Nam qui peccat in Spiritum ſanctum non ex infirmitate peccat, ſed ex malitia & pertinacia animi. *Poſt acceptam*) hoc eſt, poſtquam ſemel fuerit illuſtratus guſtauerit́q; donum cœleſte. Heb. 6.4. & deinceps. *Non adhuc*) id eſt, nullum eſt ſacrificium reliquum, quo expietur ejus peccatum: quòd ſi enim eſſet, illud eſſet vel Chriſti ſacrificium, vel alterius cujuſdam noui Mediatoris. Sed Chriſti ſacrificium non eſt: nam poſtquàm ſemel admiſſum eſt hoc peccatum, quod vocatur in Spiritum

Spiritum ſanctum, quo conculcatur Dei Filius, profanatur ſanguis fœderis, & Spiritus gratiæ contumelia afficitur. Iam Chriſti ſacrificium ad eum qui ſic peccauit, non amplius pertinet, & qui ſic peccauit, amittit prorſus jus omne in Chriſti ſacrificium. Ergo non eſt Chriſti ſacrificium quo expiatur hujuſmodi peccatum. Non eſt alterius cujuſquam noui Mediatoris ſacrificium, quo expiatur hoc peccatum: Nam nouus aliquis Mediator dari non poteſt, vt neque nouum fœdus gratię. Sequitur ergo nullum pro peccato hoc reliquum eſſe ſacrificium. Heb. 6. 6. pro eo quod hic dicitur, non adhuc pro peccatis &c. habet, fieri non poſſe vt denuò renouentur per reſipiſcentiam.

27 *Sed horrenda*) Hoc altera pars pœnæ eſt. Nam prima fuit, quòd nulla ſit peccati remiſſio: hęc ſecunda eſt, expectatio Iudicij futuri. Hanc horrendam vocat, quia vel ipſa expectatio inferorum horrorem incutit. Porrò horrenda expectatio hoc loco nihil aliud videtur eſſe, quam metus qui ſpei opponitur. Nam vt ſpes eſt futuri boni, ita metus eſt futuri mali. *Et ignis*) Hæc ſpecies pœnæ eſt futurę ſiue judicij, nempè abſumptio per ignis feruorem. *Qui deuoraturus*) Deſcriptio quædam eſt feruoris ignis quem dixit, ab effectu ſuo, qui eſt in deuorandis aduerſarijs, hoc eſt, ijs qui Deo tanquam hoſti bellum indicunt, & elata manu

peccant

peccant.

28 *Qui contempſerit*) Pœnam hanc quam dixit confirmat ex minori exemplo ejus, qui contempſit Moſis Legem. Simile argumentum vide Heb. 2. 2. 3. *Abſque miſericordia*) Nota quum Deus jubet morte afficere peccatorem, tum præpoſteram eſſe miſericordiam qua ei parcitur.

29 *Qui Filium Dei*) His omnibus modis peccat apoſtata, & qui à veritate deficit. Heb. 6. 6. in eundem ſenſum dicuntur apoſtatæ rurſum crucifigere ſibimetipſis Filium Dei, & ad ignominiam exponere. Tribus modis dicitur hic peccare apoſtata. Primùm peccat in Chriſtum, qua λογος eſt, & Filius Dei. Deinde peccat in Chriſtum, quà homo eſt crucifixus. Tertiò peccat in Spiritum ſanctum. Vnde apoſtaſia illa vocatur peccatum in Spiritum ſanctum.

30 *Nouimus enim eum*) Alterum pœnæ ſiue ſupplicij apoſtaſiæ argumentum, à teſtimonio ipſius Dei, qui profitetur ſe vltorem omnium peccatorum. Vide Deut. 32. 35. Rom. 12. 19.

31 *Et rurſum*) Hoc alterum eſt teſtimonium ipſum confirmans ex eodem loco. Deut. 32. 36. *Horrendum eſt*) Concluſio eſt hujus loci ἀποφαντικὴ. *Dei viui*) Hoc epitheto viui, oſtendit quod dixit, horrendum eſſe incidere in ejus manus. Nam cum qui manibus quaſi

ſuis peccatorem diſcerpit, adeò viuus ſit, & potens ac robuſtus, neceſſe eſt horrendum eſſe in ejus manus incidere. Sic 2. Theſſ. 1. 9. grauitatem & æternitatem ſupplicij impiorum arguit à potentia gloriæ Domini.

32 Renocate verò in memoriã ſuperiores dies, quibus poſtquàm illuſtrati fuiſtis, ingens certamen afflictionum ſuſtinuiſtis.

33 Partim quidem, dum & cum probris, & cum oppreſſionibus, in theatrum eſtis producti: partim verò, dum ſocij facti eſtis eorum qui in eo ſtatu verſantur.

34 Nam & de vinculis meis mecum doluiſtis, & direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio accepiſtis, vt qui ſciretis vos *habere apud vos potiorem ſubſtantiam in cœlis, & quæ permaneat.*

35 Ne igitur abijcite liberam illam profeſſionem veſtram quæ magnam habet præmij retributionem.

36 Nam patientia vobis eſt opus, vt voluntatem Dei obſequuti reportetis promiſſionem.

37 Adhuc enim tantillum, tantillum, inquam, *& qui venturus eſt, veniet, neque tardabit.*

38 Iuſtus autem ex fide viuet: at ſi quis *ſe ſubduxerit, non probat eum animus meus.*

39 At nos non ij ſumus qui nos ſubducamus ad exitium, ſed qui credamus ad animæ ſalutem.

Renocate verò) Dehortatur à defectione ſiue apo-

apostasia, & hortatur ad perseuerantiam, ab afflictionibus quas superioribus diebus pro fide sunt perpessi. Nam non decet eos tam multa passos esse frustrà. Gal. 3. 4. Propositio exhortationis hoc loco est, vt reuocent in memoriam superiores dies: non enim è memoria nostra excidere debet superior nostra conditio, siue prospera siue aduersa. Mementote vos quondam Gentes in carne. Eph. 2. 11. 12. *Quibus postquam)* Definitio quædam est superiorum dierum, ab afflictionibus quibus illis diebus exercitati sunt. *Illustrati fuistis)* Tempus afflictionum notat, quod erat non ante fidem, sed post fidem & illuminationem. Nam fidem & illuminationem mentis sequitur Crux, Dei consilio immissa ad fidem explorandam. Certamen vocat afflictionum, quia cum afflictionibus certamus & conflictamur in hac vita.

33 *Partim quidem)* Distributione explicat afflictiones quas dixit: partim erant afflictiones quas ipsi perpessi sunt, partim erant συμπαθία, qua cum afflictis alijs doluerunt. *Cum probris)* Afflictionem quam ipsi perpessi sunt in eo ponit, quod producti sint in theatrum cum probris & oppressionibus, h.e. quod publicè & inspectante quasi mundo, & probrosè, & injuriosè tractati sunt. Ergo producti o hæc in publicum, & quasi in theatrum, auget & exaggerat duo illa afflictionum genera, nempè

probrum & oppreſsiones. *Dum fieri)* In hanc ſententiā loqui videtur Paulus .2. Timoth. 1. 8. cum monet Timotheum nè pudeat eum ipſius, qui tum erat captiuus Chriſti, ſed potius ſit particeps afflictionum Euangelij.

34 *Nam & de vinculis)* καθύστερον explicat ſuperiora afflictionum membra: poſterius enim priori loco declarat, prius autem poſteriori. *De vinculis)* De συμπαθείᾳ hac vide Rom. 12.15. Flete cum flentibus. *Cum gaudio)* Non dicit ſimpliciter perpeſſos eſſe eos direptionem facultatum ſuarum; verùm addit, cum gaudio perpeſſos. Hoc eorum afflictionem commendat. In martyrio duo requiruntur: Primùm, vt ſit bona cauſſa: Secundum, vt adſit gaudium. Vtrumque complexus eſt Petrus 1. Epiſt. 4. 16. Sed ſi (inquit) vt Chriſtianus affligitur aliquis, ne pudeſiat, imò glorificet Deum tanquam Patrem. Quibus verbis habes & martyrij cauſſam optimam, nempè fidem Chriſti, & gaudium quo affici debet animus in martyrio. *Vt qui ſciretis)* Ratio cur cum gaudio acceperint direptionem facultatum ſuarum, à fide & ſpe quam habebant, adepturos ſe cœleſtem ſubſtantiam, quam cum terrenis facultatibus comparat Apoſtolus, & in bonitate, & in ſtabilitate. Quod ad bonitatem potior eſt: quod ad ſtabilitatem permanet in æternum.

35 *Ne*

35 *Ne igitur*) Concludit principalem exhortationem: perſtandum nimirùm eſſe in fide ſiue fiducia. *Quæ*) Argumentum exhortationis undecimum, à mercede fidei. Nota mercedem eſſe, non operum noſtrorum, ſed fidei, h.e. meriti Chriſti, quod fide apprehenditur.

36 *Nam patientia*) Occupatio. Obijci enim potuit: Dicis fiduciam habere magnam præmij retributionem: nos verò fiduciæ ſiue fidei nullum fructũ percipimus præter afflictiones. Reſpondet. Credentibus opus eſſe patientia. *Vt vb*) Quo fine ſit opus patientia oſtendit. Nempè vt poſteaquàm ex voluntate Dei perpeſsi fuerint afflictiones, reportent promiſsionem, h.e. promiſſam mercedem. Nota, promiſſiones vitæ æternę fiunt cum exceptione afflictionum. Quamobrem cum fide in promiſsiones, neceſſariò conjungenda eſt patientia, cujus beneficio duramus ſub afflictionibus.

37 *Adhuc enim*) Altera occupatio. At tardat Dominus; ac proindè, non niſi tarde reportaturi ſumus promiſsam mercedem? Reſpondet, paululum admodùm temporis adhuc ſupereſſe dum veniat Dominus. vide. 2. Pet. 3. 9.

38 *Iuſtus autem*) Cui demùm tribuenda ſit vita in aduentu Domini oſtendit, nempe ei qui juſtus eſt, hoc eſt, fide Chriſti juſtificatus, is ex fide illa qua juſtificatus eſt viuet. *At ſi quis*) E diuerſo docet cui non ſit tribu-

enda vita in aduentu Domini, ei nimirum vita non est adjudicanda qui se subduxerit, h. e. qui à fide defecerit. *Non probat)* Pro eo quod dicendum erat non viuet, dixit, non probare eum animam ipsius. Hic versus desumptus est ex Propheta Abacuc. cap. 2. vers. 4. vbi legitur. Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius: justus autem ex fide sua viuet. Verùm Apostolus hoc loco verba Prophetæ non adduxit ex professo, sed talem sententiam accommodauit hominibus sui temporis, qualem Propheta olim accommodauit ijs qui prisco illo seculo vixerunt. Atque hìc habes argumentum principalis exhortationis decimumtertium.

39 *At nos non)* Correctio est & mitigatio superioris sententiæ, quæ fortasis durior ac seuerior videri potuit. Hac igitur correctione Hebræos eximit è numero Apostatarum, & credentibus accenset. *Ad exitium)* Obscurè deterret ab apostasia & defectione à fide, argumento ab exitio illo quod manet Apostatas. *Ad animæ salutem)* Obscurè ad perseuerantiam in fide Hebræos excitat, argumento à salute illa æterna, quæ manet credentes.

Argumentum Capitis vndecimi.

HOc capite digressio est in commendationem fidei, ad quam hactenus est hortatus. Eam autem commendat ab effectis, primum generalibus ad versum 4. deinde specialibus, a versu 4. ad finem capitis.

CAPVT

CAPVT XI.

EST autem fides, illud quo extant quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non videntur.

2 Ob eam enim testimonio sunt ornati maiores.

3 Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo Dei, vt quæ cernimus non sint ex apparentibus facta.

Est autem fides) Digreditur in commendationem fidei illius, ad quam hactenus est hortatus: commendatio est ab effectis, primùm generalibus, tribus primis versibus. Primum effectum generale est quod fides sit substantia eorum quæ sperantur, hoc est, existere faciat res quæ nondum sunt, sed quæ sperantur. Fides existere facit ea quæ nondum sunt, ex parte, non autem secundum se tota: nam dum credimus in promissiones de vita futura, præsens quædam est illius vitæ fruitio. *Et quod demonstrat*) Idem re alijs verbis repetitur: ἐλεγχὸν siue demonstrationem vocat, quia ex parte oculis animi repręsentat ea, quæ secundum se tota nõ videntur: nam vt dum credimus in promissiones de vita ęterna, tunc ejus ex parte est fruitio & participatio: ita ejusdem aspectus est ex parte. Quæ non videntur hoc loco, sunt eadem quæ sperantur: nam quod non videmus speramus. Rom. 8. 25. Hoc igitur loco innuit Apostolus admirabilem esse fidei efficaciam, qua fit vt quæ non subsistunt subsistant, quæ

non videntur videantur. Quibus verbis nihil aliud significat, quàm per fidem inchoari in hac vita vitam illam æternam.

2 *Ob eam*) Secundum effectum generale, fides majorum, siue Patrum effecit vt testimonio honorifico aliquo sint ornati. Hoc videbimus posteà in inductione particularium fidei effectorum. Nota: Commendatio piorum in veteri & noua Scriptura est ex fide propriè. Si quæ fit ex operibus expressa commendatio, ea est qua per opera tanquam effecta notiora, arguitur & ostenditur fides. Ergo commendatio est ex operibus, non tanquam causis, sed effectis & testimonijs fidei in Christum, quę vera est commendationis omnis causa.

3 *Per fidem*) Tertium effectum fidei generale. Beneficio fidei non tantùm videmus apprehēdimusq; futura, vt in primo effectu, sed videmus etiam quæ multis retrò seculis facta sunt. Videmus ipsam mundi creationem, imò per fidem videmus quæ ante tempora secularia in æterno Dei consilio fuerunt; vt electionem & prædestinationem nostram. *Verbo Dei*) Per fidem non tantùm intelligimus mundū constructum fuisse, verùm constructū fuisse solo verbo & nutu Dei, neq; id modo, sed ex nihilo fuisse constructum. *Vt quæ*) Sensus est, ac si dixisset: adeò vt mundus iste quem cernimus, non fit ex aliqua apparente ac subsistente materia,

sed

sed ex nihilo, conditus. Videntur hæc verba ἐπιφωνηματικῶς subjecta esse superioribus. Habent enim quandam exclamationis & admirationis speciem.

4 *Abel per fidem, maioris pretij sacrificium obtulit Deo quàm Cain: per quam testimonium obtinuit quod esset iustus, testimonium perhibente Deo de donis eius: & per hanc mortuus adhuc loquitur.*

5 *Per fidem Enoch fuit translatus, ne videret mortem: nec fuit inuentus, propterea quod transtulerat eum Deus: priusquàm enim transferretur, testimonium obtinuerat quod placuisset Deo.*

6 *Atqui fieri non potest vt sine fide quisquam ei placeat: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse* Deum, & *præmia largiri iis qui ipsum requirunt.*

7 *Per fidem diuinitùs admonitus Noe de iis quæ nondum videbantur, veritus, apparauit arcam ad seruandam domum suam: per quam* arcam *condemnauit mundum, & eius quæ ex fide est iustitiæ factus est hæres.*

8 *Per fidem vocatus Abraham auscultauit* Deo *vt abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem: & exiuit, nesciens quò esset venturus.*

9 *Per fidem commoratus est in terra promissa vt aliena, commoratus est in Tabernaculis cum Isaac & Iacob coheredibus eiusdem promissionis.*

10 Ex-

10 *Expectabat enim vrbem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor est Deus.*

11 *Per fidem & ipsa Sara vim ad concipiendum semen accepit, ac præter ætatis rationem peperit: quòd fidelem esse duxerit eum qui promiserat.*

12 *Quapropter & ex vno, eoque iam emortuo, nati sunt* posteri, *quanta est astrorum cœli multitudo, & quasi arena illa innumerabilis quæ est ad oram maris.*

13 *Secundum fidem mortui sunt isti omnes non adepti promissa, sed eminùs ea conspicati, postquàm* ipsis *fuissent persuasa, & ea amplexi essent ac professi fuissent se hospites & aduenas esse in terra.*

14 *Nam qui hæc dicunt, palam ostendunt se patriam quærere.*

15 *Quod si illius memores fuissent ex qua exierant, habere poterant tempus ad reuertendum:*

16 *Atqui meliorem expetunt, hoc est, cœlestẽ, quapropter non dedignatur ipse Deus, cognominari Deus eorum: parauerat enim eis vrbem.*

17 *Abraham quum tentaretur, obtulit Isaac per fidem, vnigenitum,* inquam, *illum obtulit is qui promissiones exceperat.*

18 *Ad quem dictum fuerat, in Isaac vocabitur tibi semen.*

19 *Cũ ratiocinatus statuisset, Deũ vel à mortuis excitare posse: vnde etiam illum similitudine*

quadam

quadam *recepit.*

20 *Per fidem de futuris benedixit Isaac* filio *Iacobo & Esauo.*

21 *Per fidem, Iacob moriens singulis filijs Ioseph benedixit, & adorauit baculo innixus.*

22 *Per fidem, Ioseph moriens de egressione filiorum Israël meminit, deque ossibus suis mandauit.*

23 *Per fidem, Moses quum natus esset, occultatus est menses tres à parentibus suis, quod viderent venustum esse puerulum, & non timuerunt edictum regis.*

24 *Per fidem, Moses iam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis.*

25 *Potiùs eligens simul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem.*

26 *Maiores arbitratus diuitias probrũ Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Intuebatur enim in præmij largitionem.*

27 *Per fidem reliquit Ægyptũ, nihil timens iram regis: nam vt qui videret eum qui est inuisibilis,* ita *forti animo fuit.*

28 *Per fidem peregit paschа & effusionem illam sanguinis, ne qui perimebat primogenita, ipsos tangeret.*

29 *Per fidem transierunt rubrum mare veluti per siccam* terram: *cuius* maris *facto periculo Ægyptij absorpti sunt.*

30 *Per*

30 Per fidem mœnia Iericho ciderunt, quũ circundata fuissent ad dies septem.

31 Per fidem, Rahab meretrix illa non periit vnà cum iis qui non obedierant, quũ pacificè excepisset hospitio exploratores.

32 Et quid prætereà loquor? deficiet enim me tempus cõmemorantem de Gedeone, de Barac, & Sampsone, & Iephthe, & Dauide, & Samuële, ac Prophetis.

33 Qui per fidem debellarunt regna, exercuerunt iustitiã, assequuti sunt promissiones, occluserũt ora leonum.

34 Extinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladij, validi facti sunt ex imbecillis, effecti sunt robusti in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt.

35 Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos: alij verò distenti sunt neglecta liberatione, vt potiorem resurrectionem nanciscerentur.

36 Alij rursus ludibria, & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem.

37 Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt, oberrauerunt cum ouillis & caprinis pellibus, destituti, oppressi, malè vexati.

38 Quibus indignus erat mundus: in desertis errantes, & montibus ac speluncis, & cauernis terræ.

39 Atque

39 *Atque omnes hi teſtimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promiſſum illud.*
40 *Quòd Deus de nobis melius quoddam providerat, ne abſque nobis conſeerarentur.*

Abel per fidem) Sequuntur particularia fidei effecta, ex quibus eam commendat. Particularia voco effecta, ea quæ ſunt fidei certarum quarundam perſonarũ. Ac primùm quidẽ habemus effecta fidei particularia quorundam Patrum, qui vixerunt primo illo mundi ſeculo ante diluuiũ, nimirùm Abelis, Enochi, & Noahi. Fide Abelis tria hìc numerantur effecta: primũ eſt, quod fides ejus effecerit vt majoris precij ſacrificiũ obtulerit Deo quàm Cain. Per fidem enim primùm placuit Deo perſona, deindè oblatio. *Per quam*) Secundum eſt effectum fidei Abelis, obtinuit teſtimoniũ quod juſtus eſſet. Hoc pertinet ad illuſtrandum ſecundum illud effectũ generale, de quo ſuprà v. 2. *Teſtimoniũ*) Oſtendit proximũ effectũ ſiue teſtimoniũ juſtitiæ, quod obtinuit Abel, ex teſtimonio quod Deus perhibuit de donis ejus, h. e. de ſacrificio ab eo oblato. Nihil expreſſè legitur in Geneſ. de hoc teſtimonio, verùm probabile eſt ex collatione ſimilium exemplorũ: vt Aaronis Leuit. 9. 24. Eliæ 1. Reg. 18. 38. Dauidis 1. Paralip. 21. 28. Solomonis 2. Para. 7. 1. probabile (inquam) eſt, ſacrificium illius igne cœlitus demiſſo, conſumptum fuiſſe. *Et per*) Tertium eſt effectum fidei

fidei Abelis: fides ejus facit vt, licèt jampridem sit mortuus, tamen adhuc viuat quodammodò & loquatur. Vide infrà 12. 24. vide Genes. 4. 10. vbi dicitur sanguinem Abelis vindictam à Deo poscere.

5 *Per fidem Enoch)* Sequitur particulare effectum fidei Enochi, sursum assumptus est à Deo. *Ne videret*) Finis, vt eriperetur à morte. *Nec fuit*) Illustratio translationis siue assumptionis ejus, ex eo quod eam sequutum est. Sic translatus est vt amplius non fuerit inuentus. *Propterea*) Ratio cur non fuerit inuentus: quē enim Deus transtulit & assumpsit, quis inuenire potest? *Priusquam*) Probat per fidem fuisse translatum; hoc syllogismo. Fieri non potest vt quisquam sine fide Deo placeat: atqui Enoch priusquàm transferretur testimonium obtinuerat quòd Deo placuisset: Ergo per fidem placuit Deo, & ex consequenti per fidem translatus fuit. Assumptio præcedit, Propositio sequitur initio sequentis versus. De translatione Enochi habes Genes. 5. 22. & deinceps, vbi scribit Moses eum continenter ambulasse cum Deo: pro quo dicit hìc Apostolus eum placuisse Deo. *Testimonium obtinuerat*) Hoc pertinet ad illustrandum generale fidei effectum secundum.

6 *Nam qui accedit*) Ratio propositionis, quasi dicat, cui in animo est placere Deo, oportet

eum

eum credere &c. Accedere enim ad Deum hoc loco est ei placere. Duo sunt hìc de Deo credenda. Primùm est quòd sit Deus: Secundum est quod talis sit, h. e. justus sit ac benignus in eos qui ipsum requirunt. Quod de Deo primùm credendum est ad ejus naturam spectat absolutè in se consideratam: quod verò de Deo secundò credendum est, de Deo est, non absolutè in se considerato, sed vt sese ad nos demittit.

7 *Per fidem*) Hoc tertium est particulare effectum fidei, nempè Noę. Objectũ fidei Noæ fuit diuina admonitio, quam dicit fuisse de ijs rebus, quæ nondum cernebantur, nempè de diluuio post annos centum viginti euenturo. Vide Genes. 6. Porrò hæc verba indicant effectum hoc speciale fidei Noę, pertinere ad illustrandum generale illud effectum fidei primum. *Veritus*) Hoc primum est fidei Noæ effectum, interna nimirum reuerentia & obedientia *Apparauit arcam*) Secundum effectum fidei Noę, externa obedientia in arca apparanda. *Ad seruandã*) Secundum hoc effectum illustrat, primùm suo fine, ad seruandam familiam suam ab aquarum diluuio, quod Dei verbo credens certò futurum expectabat. *Per quam arcam*) Deinde illustrat hoc effectum ex duobus alijs effectis ipsum consequentibus. Primum respicit priscum illum mundum quẽ condem-

condemnauit per arcam illam. Nam Noæ duabus rebus inexcusabilem fecit priscum illum mundum, primùm verbo à se prędicato, (quo hortatus est ad respiscentiam, vt venturum judicium effugerent, fuit enim pręco justitię. 2. Pet, 2. 5.) propterea quòd ei non adhibita sit fides. Deinde verbo, ad ipsius veritatem confirmandam, adjecit sacramentum, arcam: vt tum verbo, tum sacramento, priscum illum mundum condemnaret. *Et eius quæ*) Alterum effectum arcæ apparationem consequens, ipsum Noe respicit, ipsius nimirùm justificatio & salus, prisci mundi condemnationi opposita. Nam factus est hęres ejus quæ per fidem est justitiæ. Iustitiam intelligo imputatam quã Christus tanquam hæreditatem impertit omnibus, qui per fidem ipsum apprehendunt.

8 *Per fidem vocatus*) Hactenus fuerunt effecta fidei particularia Patrum quorundam qui vixerunt ante diluuium. Sequuntur effecta fidei particularia Patrum quorundam qui vixerunt post diluuium, vsque ad exitum populi ex Ægypto: & primùm quidem Abrahami, qui Pater credentium vocatur. Rom. 4 11. Effectum fidei Abrahami, est obedientia Dei voci præstita, quòd Deo ipsum vocanti ex Vre Chaldæorum auscultauerit. *Vt abiret*) Descriptio quędam obedientiæ Abrahami, qua ostenditur in quo posita fuerit hęc obedientia,

in eo

in eo nimirùm quod abierit in eum locum, quem accepturus erat in hæreditatem, h.e. terram Canaan, quę typus erat cœlorum. *Et exiit nesciens)* Amplificat illam obedientiam Abrahami ab ignoratione loci in quem venturus erat. Deus non nominauit ei locum quò iturus esset, sed dixit ei: Abi in eam terram quam mōstraturus sum tibi. Genes. 12. 1. Abrahamus nihil cunctatus, in hac Dei vocatione acquieuit, & Deum vocantē quasi clausis oculis secutus est, paratus ire quocunq; ipsum duceret.

9 *Per fidem commoratus*) Secundum effectum fidei Abrahami. Non tantùm per fidem abijt in terram promissam, sed etiam per fidem in ea commoratus est. *Vt aliena)* Exaggerat hoc effectum commorationis in terra promissa, ex duplici ipsius modo. Primùm commoratus est in ea vt aliena. Quamuis enim ad ipsum vi promissionis Dei jure spectabat, tamen Abrahamus se inquilinum & peregrinum in ea professus est. Genes. 23. 4. *In Tabernaculis*) Alter commorationis modus: Commoratus est in Tabernaculis, vt hoc quasi sacramento obsignaret quod professus est, ostenderetque se stabilem sibi sedem in ea regione non fixisse sed in ea peregrinari. *Cum Isaac*) Illustrat hunc alterum commorationis Abrahami modum, à simili exemplo filij & nepotis, Isaaci & Iacobi; vbi obiter vides speciale hoc effectū

fidei Abrahami, cum Isaaco & Iacobo communicari. *Cohæredibus*) Descriptio est Isaaci & Iacobi: quòd hæredes fuerint ejusdem cum Abrahamo promissionis. Nam facta est promissio terræ illius, non soli Abrahamo, sed & semini ipsius, & eadem promissio Isaaco & Iacobo aliquoties repetita est. Gen 26.3. & 28. 13. & 35.12.

10. *Expectabat enim*) Ratio cur Abrahamus in terra promissa commoratus sit in tabernaculis: à spe vrbis firmioris. Expectabat vrbem habentem fundamenta, propterea nolebat fixam sibi sedem in terra promissa statuere, sed contentus fuit commorari in tabernaculis. Per vrbem habentem fundamenta intelligit cœlũ, quod eodem sensu vocatur regnum quod concuti non potest. Heb. 12.28. Cujus Sacramentum erat terra illa Canaan. Nota igitur veteres illos Patriarchas non acquieuisse in figuris & vmbris, sed per figuras & vmbras intuitos esse res ipsas, quarum erant figuræ & vmbræ; vt per terram Canaan Abrahamus intuitus est cœlum. Nam terrestrem illam Canaan propter se non tanti fecerunt, sed propter rem significatam: neque enim promissiones Patribus factæ fuerunt rerum terrestrium, sed cœlestium, quas sub terrestribus illis intellexit, & respexit Deus. Atque ita etiam impleuit Deus Patribus promissionem, data ipsis re significata

cata, & regno cœlorum, quum intereà signi, h. e. terræ Canaan possessionem non essent adepti. *Cuius artifex*) Vrbem hanc habentem fundamenta describit ab Authore suo, & conditore Deo.

11 *Per fidem & ipsa*) Exemplo fidei Abrahami, cum quo conjunxit exemplum fidei Isaaci & Iacobi, subjungit etiam exemplum fidei Saræ, eamq; ex effectis suis commendat. *Vim ad*) Primum effectum fidei Saræ; vim ad concipendum semen accepit, h. e. fides in Sara amissam naturæ facultatem ad concipiendum redintegrauit. Nam fides etiam collapsam naturam restaurat. *Ac præter*) Secundum effectum fidei Saræ, quod cùm per ætatem, & ad partum, & ad conceptionem inepta esset, accepit tamen vim etiam ad partum, & reipsa præter ætatis jam grandioris rationem peperit. *Quod fidelem*) Causam explicat horum effectorum fidei in Sara, conceptionis videlicet, & partus, quòd fidelem, h. e. veracem judicârit Deum, quem hoc loco circumscribit promissione illa partus Saræ, de qua Genes. 18. 14. Nota ex hoc loco, qui credit obsignat quod Deus sit verax. Ioh. 3. 33. qui verò dubitat de Dei promissione is judicat Deum non veracem.

12 *Quapropter &*) Ex proxima ratione infert effectum illud secundum fidei Saræ, sed variè amplificatum: non solùm peperit Sara, verùm

etiam nati ſunt, non ex multis viris, ſed ex vno, eoque non adhuc viribus ad gignendum integro, ſed jam emortuo propter ætatem. (Geneſ. 17.17.18. Rom. 4.19) nati, inquam, ſunt poſteri, ijque numero infiniti. *Quanta eſt*) Infinitam poſterorum multitudinem oſtendit duplici cõparatione parium; cum numero aſtrorum, & arenæ maris. Hoc effectum partutur hoc loco inter fidem Abrahami & Saræ, per fidē, inquit, & ipſa Sara &c. vt commune ſit vtriuſque effectum. At Rom. 4.18. totum tribuit ſoli fidei Abrahami, qui contra ſpem ſub ſpe credidit, vt fieret Pater multarum gentium, quia in hoc effecto præcipuè enituit fides Abrahami, quæ tanta fuit vt Pater omnium credentium dictus fuerit. Ibid. verſ. 16.

14 *Secundum fidem*) Commune effectum fidei trium Patriarcharum, Abrahami, Iſaaci, Iacobi. Per fidem mortui ſunt, hoc eſt, mortem æqui bonique conſuluerunt, & contenti fuerunt mori. *Non adepti*) Amplificatio hujus fidei qua contenti fuerunt mori, ab ipſorum conditione in morte: cujus duæ ſunt partes. Prima eſt, quòd nondùm res promiſſas adepti eſſent, ſed eminùs eas conſpicati. Neque enim ipſi vnquam terram promiſſam hæreditariò poſſederunt, ſed eminùs viderunt eam à poſteris ſuis fuiſſe poſſidendam. *Poſtquam credidiſſent*) Explicat quomodò conſpicati ſunt pro-

promissa, credentes nimirùm, & fide ac spe ea amplectentes, eoque conspicati sunt ea oculo fidei. Fides igitur est, quæ facit vt etiam in maximarum rerum expectatione libenter tamen moriamur, & patiamur nos ab ijs diuelli.

Ac professi) Altera pars conditionis ipsorum in morte: professi sunt se hospites & aduenas esse in terra, eòque terram illam, etsi à Deo ipsis promissam, non tamen esse ipsorum patriam.

14 Nam qui hæc) Occupatio. An igitur aliam patriam quæsiuerunt? Responsio affirmata est, & affirmationis ratio redditur, ex illa Patriarcharum professione. Qui dicunt se in terra hospites esse & aduenas, palàm ostendunt se patriam quærere. Cùm enim profiteor me hospitem esse in terra, idem est ac si dicerem, patriam meam esse alibi, ideoq; eam profiteor me alibi quærere. Ergo hæc duo conjunguntur, hospitem esse in terra, & quærere cœlum.

15 Quod si illius) Occupatio vt priùs. Obijci potuit. Quærebāt fortasse Patriarchæ, Abrahā, Isaac, Iacob, patriam ex qua exierant, h. e. Vr Chaldęorum; Respondet negando, & negationis rationem affert syllogismo connexo. Si memores fuissent illius Patriæ ex qua exierant, & eam quęsiuissent, potuissent in eam reuerti, habebant enim tempus ad reuertendum. At non sunt reuersi. Ergo non quærebant patriam,

ex qua exierant.

16 *Nunc autem)* Occupatio tertia: Quam igitur patriam quęrebant? Reſpondet eos meliorem expetere, eamque nominat cœleſtem. *Quapropter non*) Probat eos cœleſtem Patriam expetiuiſſe, à titulo quo ſe vocari voluit Deus. Vocauit ſe Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi. Ergo expetiuerunt illi cœleſtem patriam. Nam hic ipſe titulus arguebat eos ciues eſſe regni Dei, & cœleſtis patriæ. Non ait ſimpliciter, Deum vocaſſe ſe eorum Deum; ſed non erubuiſſe vocari eorum Deum: quo ſignificatur Deum ſe ijs quodammodò demiſiſſe hoc ipſo quod vocari voluerit eorum Deus. *Parauerat enim*) Ratio conſecutionis. Ideò voluit vocari eorum Deus, quia parauerat ijs vrbem. Ergo vel hic ipſe Dei titulus teſtatur eos aliam vrbē, illam nimirùm cœleſtem, expetiuiſſe. Vrbem enim intelligit habentem fundamenta, de qua ſuprà verſ 10. quam parauerat ijs Deus ab æterno. Vnde Matth. 25. 34. vocatur regnum electis paratum à jactis mundi fundamentis.

17 *Abraham quum)* Tertium effectum fidei Abrahami. Cùm à Deo tentaretur & exploraretur, per fidem obtulit Iſaacum. Dicitur Abrahamus Iſaacum obtuliſſe, quia etſi non reipſa & facto, tamen intentione & propoſito eum obtulit, & Iſaacus Abrahami propoſito erat jam mortuus & occiſus. *Vnigenitum*) Amplifica-

plificatio effecti hujus Abrahami, quòd obtulerit eum quamuis vnigenitum, quod majus est quam si filium tantùm obtulisset. *Is qui promissiones*) Secunda amplificatio à persona offerentis: is ipse obtulit Isaacum, qui promissiones acceperat.

18 *Ad quem dictum*) Tertia amplificatio à promissione ipsa, quæ non fuit generalis, de quocunque filio ex Abrahamo genito, aut gignendo, sed specialis de Isaaco nominatim: vt ostenditur recitatis promissionis verbis, In Isaac vocabitur tibi semen. Genes. 21. 12.

19 *Quum illud*) Causam ostendit, quę mouit Abrahamum vt offerret filium suum Isaacum. Causa fuit consideratio potentiæ Dei, qua vel ex mortuis excitare potuit Isaacum, eumque viuificare. Nisi enim perpendisset secum, Deũ posse Isaacum mortuum viuificare, vt in eo semen vocaretur, nequaquam eum obtulisset. Fundamentum igitur tantę in Abrahamo fidei, fuit potentia Dei, de qua fuit persuasus. Idem fundamentum fidei Abrahami habes etiam Rom. 4. 17. vbi dicitur credidisse Deo viuificanti mortuos, & vocanti ea quæ non sunt tanquam sint: & ibidem vers. 10. 21. aduersus promissionem Dei non disceptauit infidelitate, sed robustus factus est fide tributa gloria Deo, ac plenè persuasum habens, πληροφορηθὲις, eum quod promiserat posse etiam facere. πληροφορία

hæc potentiæ diuinæ hominem ita ſuſtentat, vt etiam ſummas difficultates, quæ promiſsionibus Dei videntur eſſe prorſus contrariæ, earumque impletionem impedire, facilè ſuperet. *Vnde etiam*) Euentus fidei quæ Dei illa potentia nitebatur: recepit eum ſimilitudine quadam quaſi à mortuis excitatum. Neque enim vera fuit Iſaaci mors, ſed ſimilitudinaria (mortuus enim eſt mente & propoſito Abrami) eòque etiam ſimilitudine quadam à mortuis reſurrexit. Hæc autē ſimilitudinaria mors & reſurrectio Iſaaci typus fuit veræ mortis & reſurrectionis Chriſti.

20 *Per fidem*) Secundum particulare exemplum fidei Patrum, qui fuerunt ante exitum populi ex Ægypto, eſt Iſaaci. Iſaacus per fidem benedixit duobus filijs, Iacobo & Eſauo. Iacobum Eſauo præponit, quia jus primogenituræ pertinebat ad Iacobum, qui propterea primam accepit benedictionem, eamq; non rerum temporalium tantùm, ſed etiam ſpiritualium. Eſau ſecundam accepit benedictionem, rerum temporalium tantùm, non ſpiritualiū. Benedictio hęc vtraq; proceſſit ex fide, qua Iſaac tanquam propheta Dei credidit hæc ita eſſe futura quemadmodum prædicebat. Ergo pertinet hoc effectum ad illuſtrandū generale illud fidei effectum primum, quod commune eſt cujuſq; fidei, & hic ad extraordinariam fidem

qualis

qualis fuit Prophetarum, extenditur.

21 *Per fidem Iacob)* Tertium particulare exemplum fidei Patrum, ante exitum populi ex Ægypto, est Iacobi, qui per fidem (extraordinariam intellige qualis fuit Prophetarum) moriens benedixit duobus filijs Ioſephi, Ephraim & Manaſſe. Nota igitur, ne ipſam quidem mortem imminentem impedire operationem Spiritus ſancti per fidem. *Et adorauit)* Alterum effectum fidei Iacobi. Per fidem adorauit Deum poſt prolatam benedictionem, vt eam Deus effectam redderet. *Baculo innixus)* Situs adorantis notatur, ex Geneſ. 47. 31. vbi in Hebræo dicitur adoraſſe ad ceruical lecti: quum hìc dicatur adoraſſe baculo innixus, prout etiam locum illum Geneſeos verterunt ſeptuaginta interpretes, ſed vtrumque conjunctìm erat verum. Nam ſenex Iacob benedicturus filijs Ioſephi, ſurrexit è lecto, & baculum manu prehendit quo ſe ſuſtineret, abſoluta autem benedictione inclinauit ſe ad ceruical lecti, vt intereà aliqua ex parte etiam baculo inniteretur. Hebræa autem vox quæ hìc habetur, variatis punctis, vel ceruical, vel baculum ſignificat.

22 *Per fidem Ioſeph)* Quartum exemplũ particulare fidei Patrum ante exitum populi ex Ægypto, eſt Ioſephi: primũ effectum fidei Ioſephi eſt, quòd meminit de egreſsione filiorum Iſrael

Israel ex Ægypto. Pertinet hoc ad illustrandum generale illud fidei effectum primum. *Deque ossibus*) Secundum effectum fidei Iosephi: mandauit de ossibus suis, vt perferrentur in terram Canaan: oritur ex primo effectu, quo certò persuasus fuit Iosephus filios Israelis terram Canaan possessuros.

23 *Per fidem Moses)* Sequitur tertia classis effectorum fidei particularium, Patrum qui fuerunt ab exitu populi ex Ægypto vsque ad introitum in terram promissam, initio sumpto à Mose qui populum ex Ægypto eduxit. Verùm effectis fidei Mosis præmittit effecta fidei parentum Mosis, quibus transit quodammodò ad effecta Mosis ipsius. Effecta fidei parentum Mosis duo sunt, κατ' ὑστεροφὴν proposita. Primum enim effectum in fine versus est internum in corde: non timuerunt injustum & impium Pharaonis edictum, quo mandauerat vt omnes filij qui nascerentur Israelitis in riuum proijcerentur: Fides enim timorem expulerat. Secundum effectum (de quo initio versus) ex hoc priori sequitur, externum nimirùm ipsorum factum in occultando Mose per tres menses. *Quod viderent*) Causa impellens parentes Mosis ad eum occultandum, venustas pueruli extraordinaria (fuit enim diuinitùs venustus. Act. 7. 20.) quę adjuuans fuit caussa illius fidei, qua occultarunt Mosem: fides enim ipsa,

qua

qua diuina inſpiratione pręuiderunt puerulũ illum fore liberatorem populi, fuit cauſſa principalis.

24 *Per fidem*) Sequuntur particularia effecta fidei Moſis ipſius: Primum eſt, quod jam grandis natu renuit vocari filius filiæ Pharaonis.

25 *Potiùs eligens*) Fundamentum affert hujus effecti, cur renuerit Moſes vocari filius filiæ Pharaonis, quod eſt electio Moſis factum hoc præcedens, qua ex duobus propoſitis alterum eligit. Duo hęc erant Moſi propoſita, vel vt malis afficeretur cum populo Dei, vel vt temporarijs commodis peccati frueretur. Ex his duobus eligit Moſes potiùs vt malis afficeretur cum populo Dei, electionem hanc ſequitur factum, renuit vocari filius filiæ Pharaonis. *Temporarijs commodis*) Peccato tribuit commoda ſua: nam miniſtrat hominibus honores, dignitates, opes, &c. quibus tanquam illecebris Diabolus ad peccandũ ſollicitat: verùm hæc omnia commoda temporaria ſunt: nam interea dum his commodis fruitur homo, peccatum eum præcipitat in inferos, & mortem æternam affert: nam finis peccati mors. Rom. 6. 23.

26 *Maiores arbitratus*) Ratio & fundamentum electionis hujus: neque enim temerè elegit Moſes, ſed præcedente mentis judicio & arbitrio. Propoſitis enim duobus illis de quibus dictum, primùm de propoſitis mens judicat, & reſol-

& resoluit in alteram partē, majores nimirùm esse diuitias probrum Christi, & afflictiones cum populo ipsius, quam Ægyptiorū thesauros. Mentis judiciū sequitur voluntatis electio, eligit potiùs probrum Christi, & malis affligi cum Ecclesia ipsius, quàm temporaria peccati cōmoda: electionem postremò sequitur actio. Probrum Christi vocat diuitias majores quàm Ægyptiorum thesauros, quo quidem significat, nihil in hoc mundo glorioſius esse, nihil magis honorificum & pluris faciendum, quàm Christi probrum & crucem, quę vel omnia regum terrenorum diademata facilè exuperat. Vnde solet Paulus hoc titulo, tanquam imprimis glorioso, se ornare; quòd sit captiuus Iesu Christi. Ephes. 3. 1. Philem. 1. & Gal. 6. 14. omnem aliam gloriandi materiā abominatur præter crucem Christi. *Intuebatur enim*) Fundamentum est resolutionis hujus, quod mouit Mosen vt majores arbitratus sit diuitias probrū Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Non temerè mens in judicando resoluit in alteram partem, sed in deliberando intuebatur in præmij largitionem: Deus enim largitur præmia ijs qui ipsum requirunt. suprà vers. 6. Prę̄mium autē hic tribuitur afflictionibus Mosis pro Christo, tanquam totidem testimonijs fidei ex qua fluxerunt. Ita q̄; impropria est loquutio, qua præmium non ascribitur fidei, & merito Christi per fidem

fidem apprehenſo, h. e. cauſſæ: ſed effectui ejus, vt non ſit quod Papiſtę in hujuſmodi loquutionibus meritũ ſuorum operum quærant.

27 *Per fidem reliquit*) Alterum effectum fidei Moſis: per fidem reliquit Ægyptum, poſtquàm renuiſſet vocari filius filię Pharaonis: ita effecta fidei in Moſe incrementa capiunt. *Nihil timens*) Externum hoc fidei effectum oſtendit ab interno cordis effecto promanaſſe: nam fides primùm reformat cor, illudq; ab affectibus vitioſis repurgat, vt hìc in Moſe expellit timorem iræ injuſtę Regis: deinde reformat etiam externas actiones. *Nam vt qui*) Hanc Moſis fortitudinẽ in nihil timendo iram Regis, reſoluit in altius fundamentum, viſionem nimirùm Dei inuiſibilis. Pertinet igitur hoc ad illuſtrandum generale fidei effectum primum, Demonſtrat ea quæ non videntur. Nota igitur effecta fidei non eſſe temeraria, ſed ſolidis niti fundamẽtis. Primũ vidit Moſes eũ qui eſt inuiſibilis. Hinc factũ eſt vt forti animo fuerit, & nihil timuerit iram Regis: contempta Regis ira relinquit Ægyptum. Nota deindè, non eſt verè fortis animus niſi illius ſolùm hominis qui videt Deum. Nam fortitudinis cauſa eſt viſio Dei.

28 *Per fidem*) Effectum aliud fidei particulare Moſis ſimul & populi, peregit paſcha & effuſionẽ ſanguinis. Nã Moſes & populus ex Dei mandato obſeruarunt paſcha, ante liberationẽ

ex

ex Ægypto, & acceptum paruę pecudis per singulas domos cæsæ sanguinem imposuerunt duobus postibus & superliminari portæ domus cujusque Israelitarum, quo sanguine conspecto transiuit Iehoua præter portam illam, nec passus est interfectorem, (qui primogenita Ægyptiorum occidebat) ingredi domos ipsorum. Vnde finis effecti hujus Mosis & populi hìc adijcitur, ne angelus qui perimebat primogenita, ipsos tangeret. Vide Exod. 12. Nota igitur quanta fuerit vis in typo, in sanguine Agni, ad seruandum Israelitas, ne Angelus interfector ipsos vel tangeret, nedum perimeret: quanto major vis ad seruandum est in ipso Christi sanguine pro nobis in cruce effuso.

29 *Per fidem transierunt*) Aliud effectum fidei Mosis & populi. Per fidem salui transierunt mare rubrum, veluti per siccam terram. Fides enim ipsorum in Christum aquas cohibuit & sustinuit, ne in ipsos irruerent. *Cuius facto*) Amplificatio hujus fidei Mosis & populi, qua mare rubrum transierunt, à contrario penitus euentu in Ægyptijs, qui sine fide eundem transitum tentantes aquis absorpti sunt.

30 *Per fidem mœnia*) Quarta classis effectorum fidei particularium, eorum Patrum qui fuerunt ab introitu populi in terram promissam tempore Iudicum & Regum, vsque ad

tempus

tempus Machabęorum. Primum hoc effectum fidei, est Ioſuæ & populi, qui crediderunt verbo Dei promittentis fore, vt poſtquàm ſeptem diebus circuiſſent Ierichuntem cum ſeptem ſacerdotibus clangentibus buccinis arietinis, & die ſeptimo eam circuiſſent ſepties, conciderent ejus mœnia. Huic promiſsioni crediderunt Ioſua, & populus, & juxta præſcriptum Dei circuiuerunt mœnia Ierichuntis ſeptem dies. Vnde ſecutus eſt euentus à Deo prędictus, conciderunt mœnia Ciuitatis. Vide Ioſuæ 6.

31 *Per fidem Rahab*) Secundum particulare effectum fidei, Rahab Meretricis. Objectum fidei Rahab, fuit verbum Dei, quo promiſit Iſraelitas poſſeſſuros terram Canaan. Huic credidit Rahab, vt ipſa profitetur Ioſuæ 2. 9. Hinc factum eſt vt ſeruaretur & non perierit, pereuntibus reliquis incolis Ierichuntis, qui verbo huic non crediderant & obedierant. *Iis qui non*) Significat cauſam perditionis Ierichuntinorum fuiſſe infidelitatem, qua non obedierunt Dei verbo. *Quum pacificè*) Fidem illam Rahab meretricis illuſtrat ſuo opere: neque enim fuit fides otioſa, ſed per charitatem agens. Nam pacificè, hoc eſt, pacato & beneuolo animo, exploratores Iſraelitarum hoſpitio excepit, eoſque dimiſit incolumes, quod verę in ipſa fidei teſtimonium fuit, & eam vera

fide

fide coram Deo iustificatam esse hominibus testabatur. Vnde dicit Iacobus eam ex operibes iustificatam esse, hoc est, ex operibus suis hominibus ostendisse, se fide vera, non mortua & operum experte, coram Deo esse iustificatam. Iacob. 2. 25.

32 *Et quid prætereà*) Per pręteritionem inducit cætera exempla, quæ sunt hujus classis à Iosua primo Iudice, ad ętatem Machabæorum. *Deficiet enim*) Ratio præteritionis: qua significat se breuitatis causa horum omnium Patrum exempla prętermittere: Inducit autem hìc nominatim exempla, primùm quatuor Iudicum, Gedeonis, Barac, Sampsonis, & Iephthe. Deindè Regis vnius, Dauidis: tertiò Samuelis Iudicis ac Prophetæ: postremò Prophetarum, vt Elię, Elisæi, Danielis &c.

33 *Qui per fidem*) Vt priùs accumulauit personas, ita nunc accumulat personarum effecta ex fide promanantia: Nam fide illa qua crediderunt Dei verbo, siue ordinariè, siue extra ordinem reuelato, hæc omnia effecta producta sunt. Primũ effectũ est: Per fidem debellarunt regna (adjacentia nimirùm) vt Ammonitarum, Edomæorum &c. *Exercuerunt*) Secundum effectum: exercuerunt iustitiam, vt Barac, Samuel, Dauid, & reliqui ferè omnes. *Assecuti sunt*) Tertium effectum omnibus commune: Assecuti sunt promissiones. Sic Dauid assecutus

us est regnum promissum. *Occluserunt ora*) Quartum effectum: Occluserunt per fidem ora Leonum, vt Samson. Iudic. 14. 7. Dauid. 1. Sam. 17. 35. Benaja comes Dauidis. 2. Sam. 23. 20. Daniel. Dan. 6. 23. vbi expresse fidei Danielis tribuitur, quod occlusa sunt ora Leonum.

34 *Extinxerunt vim*) Quintum effectum: extinxerunt vim ignis, vt socij Danielis, quorum in ignem injectorum ne pilum quidem capitis ignis exusserat, quamuis viros illos qui ipsos intrudebant interfeciissent scintillæ ejus. Dan. 3. 22. 27. *Effugerunt*) Sextum effectum: effugerunt aciem gladij, vt Elias quem maxime operè cupiebat Iezabel gladio occidere. 1. Reg. 19. 2. *Validi facti*) Septimum effectum. Validi euaserunt ex imbecillis, vt Ezechias qui ægrotauit vsquè ad mortem, fide sanitatem & valetudinem recuperauit. *Effecti sunt*) Octauum effectum: robusti effecti sunt in bello, vt Samson, qui maxilla asini percussit mille Philischtæos: sic Barac, Iephthe, Dauid, & alij. *Exercitus*) Nonum effectum: Exercitus exterorum verterunt in fugam, vt Gedeon, Iephthe, & alij plerique.

35 *Mulieres acceperunt*) Decimum effectum quod mulieribus tribuitur. Per fidē acceperūt mortuos suos, ex resurrectione vitæ restitutos, vt vidua Sareptana recepit filium suum vitæ restitutum precibus Eliæ. 1. Reg. 17. 22. 23.

Sic Schunamitis accepit filium ſuum vitæ reditum per Eliſæum. 2. Reg. 4. 36. 37.

Alij verò distenti.) Quinta & vltima claſsis effectorum fidei particularium eſt earum perſonarum quę fuerunt temporibus Machabæorum, vſque ad Chriſtum. Breuitatis cauſſa non diſtinxit hæc exempla, neque nominauit certas perſonas, ſed ſuppreſsis nominibus congeſsit effecta fidei perſonarum. Sunt autem hæc effecta paſsionum magis quàm actionum: quum præcedentia omnia fuerint actionum; vt videas fidem non minùs efficacem eſſe & potentem in patiendo, quàm in agendo. Hæc autem effecta quę ſunt paſsiones, partim ſunt tentationes quæ mortem antecedunt, partim ſunt mortis genera quæque crudeliſsima, partim denique cernuntur in fuga perſecutionum miſerrima. Tentationum quæ mortem antecedunt, & ad defectionem ſollicitant, genera aliquot hìc inducuntur. Primum eſt quo diſtendebantur corpora ſanctorum tympanis. Eſt autem τυμπανον inſtrumentum quo ita diſtendebantur fontes cum erant cædendi, aut exanimandi flagris, vt nullam corporis ſui partem vel latum vnguem mouere poſſent; ſed fuſtigantium & pulſantium plagis in omnes partes eſſent expoſiti. Hoc tormenti genere, plerique in immani illa Antiochi perſecutione exeruciati ſunt. 2. Machab. 6. *Neglecta*) Amplificatio

ificatio tormenti hujus, quod perpesi sunt deles nonnulli, quod propositam ipsis condionem liberationis, si fidem abnegarent, neexerint, & contempserint: vt de Eliazaro uodam legitur. 2. Machab. 6. 21. & deinceps. *i potiorem*) Finis propter quem neglecta liberatione acerbissima tormenta patienter sunt erpessi, vt in vltimo illo die resurgerēt à morius ad vitam æternam, quam vocat resurrectionem potiorem hac, quæ est à morte præente, cum abnegatione veritatis, & salutis æernę dispendio. Nota igitur: homini pio & deli non esse ne ipsam quidem corporis cuam abijciendam, sed simul prospiciendum sse æternę, tum corporis, tum animæ saluti.

39 *Alij rursus*) Secundum genus tentationum, uę mortem antecedunt & ad defectionem ollicitant, ludibria à quibus processerunt ad lagella. *Insuper &*) Tertium genus istarum ntationum, vincula & carceres.

37 *Lapidati sunt*) Secundus ordo passionum ontinet mortis genera quæque crudelissima. ujusmodi hic aliqua enumerantur, 1. lapidati unt, 2. serra dissecti sunt, vt de Isaia scribit Hironymus. 3. cremati sunt & igni traditi. Nam ro ἐπειράσθησαν tentati sunt, legendum videtur ἐπυρώθησαν cremati sunt, quod cum precedenibus & sequentibus magis videtur congruere. 4. gladio cæsi occubuerunt. *Oberrauerunt*)

Tertius ordo passionum: fuga à persecutione miserrima: quę variis adjunctis incommodis amplificatur: Primùm oberrauerunt induti vilibus vestimentis, vtpote ouillis & caprinis pellibus: deinde bonis omnibus ad vitam pertinentibus destituti: tertiò oppressi & omni ex parte malè habiti.

38 *Quibus indignus*) Obiter inserta est ratio, cur sic oberrauerint, & ad deserta loca confugerint, quia ijs indignus erat mundus, hoc est, mali in mundo homines, ideò mundo relicto confugerunt ad loca deserta: Putauit quidem mundus eos se & suą societate indignos: At contrà Deus mundum ijs indignum esse censuit, dum eos à mundo seuocaret. Hac ergo ratione exaggeratur hominum à quibus fugerunt impietas. *In desertis errantes*) Secunda amplificatio fugæ sanctorum, à locis in quibus oberrauerunt, quæ hìc aliquot inducuntur: vt deserta, montes, spelunca, cauernæ, quæ ferarum, non hominum, habitationi destinantur.

39 *Atque hi omnes*) Amplificatio est, & commendatio fidei eorum, quod quamuis hæc omnia per fidem in promissionem sustinuerint, ac testimonium à Deo adepti sint per fidem, tamen non obtinuerunt promissum, hoc est, non viderunt Christum in carne manifestatum & exhibitum, sed eminus tantùm

tantùm venturum conſpicati ſunt. Cùm dicit eos per fidem teſtimonium adeptos, ſignificat hæc particularia eorum effecta pertinere ad illuſtrandum fidei effectum generale ſecundum.

40 *Quod Deus de nobis*) Ratio cur non obtinuerunt promiſſum: Deus differendo promiſſum melius quiddam de nobis prouidit. Nam patefactio Chriſti & ejus aduentus in carne, dilata eſt in vltima tempora propter nos, in quos (teſte Paulo) fines ſæculorum inciderunt. 1. Corinth. 10. 11. Vnde Petrus dicit, Chriſtum patefactum vltimis temporibus propter nos, qui per eum credimus Deo. 1. Epiſtol. 1. 20. *Ne abſque nobis*) Si veniſſet Chriſtus ætate priſcorum illorum Patrum, fuiſſent illi abſque nobis conſecrati & glorificati: nos autem fuiſſemus neglecti: quia exhibito Chriſto nihil aliud quam finis mundi expectari poteſt. Ergo noluit Deus eos obtinere promiſſum, & Chriſtum videre reipſa exhibitum, vt noſtræ ſaluti conſuleret, ne nos à participatione gloriæ excluderemur.

Argumentum Capitis duodecimi.

HOc capite primum redit ad inſtitutam exhortationem ad perſeuerantiam in fide, eiuſque duo affert argumenta, decimum quartũ & decimumquintum ad verſ. 3. Deinde ſpeciales aliquot huc exhortationes, ad patientiam in afflictionibus, ad præeundum

alijs bono exemplo, ad pacem, ad sanctimoniam &c. ad vers. vsque 25. Postremo redit ad exhortationem principalem, eiusque tria adducit argumenta, ad finem capitis.

CAPVT XII.

PRoinde nos quoque, quum tanta nos circunstet testium nubes, abiecto omni pondere, & peccato ad nos circuncingendos procliui, constanter propositum nobis stadium decurramus.

2 Intuentes in fidei ducem ac perfectorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni Dei consedit.

Proinde nos quoque) Post digressionem in commendationem fidei, redit ad institutam exhortationem ad constantiam & perseuerantiam in fide. Estque hoc argumentum exhortationis decimumquartum, à testibus, siue ab exemplis credentium, qui perseuerârunt in fide. Accommodat enim ad institutum ea quæ in digressione dicta sunt capite superiori. *Testium nubes*) Amplificatio argumenti est, à testium multitudine, quæ nubis voce intelligitur, qua metaphoricos multitudo quasi coagulata significatur. *Constanter propositum*) Exhortatio ipsa est metaphoricis verbis expressa. Metaphora est ab ijs qui in stadio currunt, Scripturę familiaris. vt 1. Cor. 9. 24. & deinceps. Heb. 6. 18. Nam hominis Christiani vita est quasi cursus in stadio, & Christianus homo quasi in stadio currit ad metam, & palmam illam super-

næ voca-

næ vocationis, experiens ecquo modo perueniat ad resurrectionem mortuorum. Philip. 3. 11. 14. *Constanter*) Legem currendi præscribit, vt currant per patientiam. Neque enim satis est currere, sed seruandę sunt leges in currendo. Non coronatur (inquit Paulus) nisi qui legitimè (hoc est, seruatis certandi legibus) certauerit. Hæc igitur lex est currendi præcipua, vt constanter & cum patientia decurrant, inoffenso pede, præteritis omnibus impedimẽtis quæ cursum ipsorum remorari possint. *Propositum*) Stadium vocat propõsitum, quia vt meta, ita vt stadium ac via ad metam perueniendi nobis à Deo proponitur. Sic spem propositam dicit. Heb. 6. 18. *Abiecto omni*) Modus decurrendi constanter hoc stadium objecto omni pondere: deindè pondus illud interpretatur peccatum. Neque enim progressum aliquem in cursu potest facere qui cum pondere currit; nullum autem pondus est quo impedimur in hoc cursu præter peccatum, quo quidem abjecto facillimus nobis & expeditissimus esset cursus ad metam. Duobus autem modis hoc peccati pondus abijcitur: Primùm quidem dum imponitur quasi humeris Christi, qui volens peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. 1. Pet. 2. 24. & factus est pro nobis peccatum. 2. Corinth. 5. 21. Deindè dum per Spiritum Christi sanctificamur, & pur-

gantur corda noſtra ab inhærente in nobis peccato. Atque hoc quidem modo poſteriore non prorſus in hac vita abijcitur peccati pondus: Manent enim aliquæ reliquiæ peccati quamdiu hic ſumus: Vnde eſt grauiſsima illa Pauli lamentatio: Miſer ego homo quis me eripiet ex iſto corpore mortis? Rom. 7. 24. & 2. Corinth. 5. 4. Suſpiramus onerati: ſed danda nobis eſt opera vt peccatum indiès magìs ac magìs mortificetur in nobis, vt tandem aliquando prorſus leuati hoc onere ad metam perueniamus. *Ad nos circumcingendos*) Deſcriptio quædam eſt hujus peccati ac ponderis, quod ſua natura nos circumcingat, tanquam murus aut maceries quædam, vndique aditum nobis præcludens ad cœlos, & curſum noſtrum in hoc ſtadio impediens, vt niſi eo ſuperato, & diruta quaſi hac macerie, propoſitum nobis ſtadium non poſsimus decurrere.

2 *Intuentes in fidei*) Argumentum exhortationis præcipuæ decimumquintum, ab ipſius Chriſti exemplo, quod majoris eſt momenti quam reliqua omnia ſanctorum exempla. Ieſus per mediam crucem & ignominiam decurrit ſtadium ſibi propoſitum. Ergo intuendum nobis eſt in eum vt propoſitum &c. *Fide ducē*) Deſcriptio eſt Chriſti, ad commendationem perſonæ pertinens, vt eò magis incitemur ad imitan-

imitandum ipsius exemplum in decurrēdo hoc stadio. Vocat eum primùm ducem fidei, quia præit nobis viam, & ducit nos in hoc fidei stadio, imò ipse est via qua nobis eundum est ad metam, vt se appellat Ioan. 14. 6. Deindè vocat eum fidei perfectorem, quia finis est fidei nostræ, in quo fides nostra consummatur ac perficitur. Duo enim sunt quę Christum respiciunt, fides & aspectus: fide incedimus in hac vita, ait Apost. 2 Corinth. 5. 7. & eatenùs quidem Christus est dux fidei: At in altera vita fides mutabitur in aspectum, quia videbimus eum sicuti est, 1. Ioann. 3. 2. & tùm quidem Christus erit fidei nostræ perfector. Fides enim, vt & spes, imperfectum quiddam est, & via tantummodò ad perfectionem, eòque non est nobis in ea acquiescendum. Perfectio autem & beatitas nostra est in aspectu. Atque ita Christus perficiet fidem nostram, dum eam mutabit in aspectum. Ergo in decurrendo hoc stadium nobis propositum oportet perpetuò intueri & ob oculos habere Christum, primùm quidem vt præcursorem & ducem cursus nostri, præeuntem nobis per crucem & ignominiam: deindè vt finem & perfectionē cursus nostri & laborū nostrorum omnium coronam, quæ posita est in aspectu Christi glorificati, vt nunquam debeat oculus noster, neq; in hac vita, neque post hanc vitam in altera illa,

à Christo

à Christo distrahi. *Pertulit crucem*) Hæc via est qua præiuit nobis Christus, perferendo nimirum crucem. *Ignominia*) Docet quomodo hac via præiuerit, contempta videlicet ignominia, nempè crucis, quæ profectò omnium maxima fuit, siue externam illam respicias in morte omnium ignominiosissima, siue internam illam, quam intereà in anima, iram Dei & horrores ac cruciatus inferorum perpetiente, sensit: cujus externa illa mortis ignominia fuit tantùm testimonium externum. Quæ enim potest esse major ignominia quàm ea qua reprobi detectis ipsorum peccatis in vltimo die afficientur, quam Scriptura vocat pudorem, & confusionem, eamque æternam? Atque hęc fuit ignominia, quam impositis ipsi peccatis nostris pertulit Christus, sine qua nos ab æterna illa ignominia liberare nunquam potuisset. *Vice sibi propositi*) Amplificatio crucis quam pertulit, à contrario gaudio sibi proposito, quo vtpotè Deus coæternus cum Patre frui potuisset: vice tamen gaudij hujus, facta quasi permutatione, pertulit crucem. Vide Philip. 2. 6. 7. Cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam æqualem esse cum Deo: sed ipse se exinaniuit &c. Vide igitur quantum mali sit in peccato, cui satisfieri non potuit, nisi Christus deposito quasi gaudio, & gloria Deitatis, pro nobis crucem pertulisset, & se exinaniuisset, factus obediens

diens ad mortem, mortem autem crucis. Debet hoc nos mouere ad deteſtationem peccati. *Contempta)* Intereà dum pateretur, crucem & ignominiam contempſit. At quomodò contempſit eam, cùm legamus in hiſtoria Euangelica eum grauiſſimè tuliſſe, vt quum queritur, Eli, Eli, lamma ſabachthani. Matth. 27. 46. imò profitetur triſtem fuiſſe animam ſuam vſque ad mortem. Matth. 26. 38. quomodò igitur ignominiam contempſit? Reſpondeo contemptum hunc poſitum eſſe in eo, quòd volens ignominiam crucis ſubierit, quemadmodum pij mortem contemnunt, non quidem eam irridendo, ſed voluntariè ſubeundo, ſpe vitæ illius glorioſę qua fruentur. Cauſa verò cur Chriſtus mortem tam grauiter tulerit fuit, quia mortuus eſt peccati nomine. Cum autem quis moritur propter peccatum, nullus poteſt eſſe pœnæ modus, ſed neceſſe eſt pœnam eſſe infinitam, vt in reprobis qui propter peccata ſua morientur. Martyrum nullus mortuus eſt propter peccata, ſed ejus tantùm cauſa, qui propter ipſorum peccata mortuus eſt, eòque certò perſuaſi erant remiſſa eſſe ſibi peccata. Vnde internum quod ſentiebant animi gaudium abſorbebat externum corporis dolorem. *Et ad dexteram)* Commendatio crucis Chriſti, ab euentu qui has ejus perpeſsiones inſecutus eſt, qui continet argumentum quo nos excitemur

ad

ad ferendam crucem pro Christo. Consedit ad dexteram throni Dei, hoc est, consecutus est summam gloriam. De hac gloria Christi perpessiones insecuta vide Philipp. 2. 9. Quapropter extulit eum Deus in summam sublimitatem, & donauit ei nomen quod est supra omne nomen: &c. Sic & nostras quoque afflictiones consequitur gloria, sed latum est discrimen. Nam Christi afflictiones & perpessiones promeritæ sunt gloriam, quia Deus passus est, ideò adhibetur eo loco particula causalis διὸ, quapropter, (hoc est, propter illam humiliationem vtpotè meritoriam) exaltauit eum Deus: Sed afflictiones nostræ non merentur gloriam: Non enim sunt paria quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ. Rom. cap. 8. vers. 18.

3 Reputate igitur quis ille sit qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus sese contradictionem, ne animis remissi, fatiscatis.

4 Nondum ad sanguinem vsque restitistis, aduersus peccatum decertantes.

5 Et oblite estis exhortationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, Fili mi, ne negligito castigationem Domini, neque remissus esto quum ab eo argueris.

6 Quem enim diligit Dominus castigat, & flagellat quemcunque filium recipit.

7 Si

7 Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis offert vt filijs (quis enim est filius quem non castiget pater?)

8 Quod si estis absque castigatione, cuius participes sunt omnes, nempè spurij estis, & non filij.

9 Deinde corporum nostrorum patres habuimus castigatores, & eos reueriti sumus: an non multo magis subijciemur patri spirituum, & viuemus.

10 Nam illi ad paucos dies prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum nostrum, vt participes simus sanctimoniæ ipsius.

11 Omnis autem castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudij, sed tristitiæ: at posteà fructū tranquillum iustitiæ reddit ijs qui per eam fuerint exercitati.

12 Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite.

13 Et rectas orbitas facite pedibus vestris, ne quod claudum est abducatur à via, sed vt sanetur potiùs.

14 Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.

15 Prospicientes nequis deficiat à gratia Dei: ne qua radix amara suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi.

16 Nequis sit scortator, aut profanus, velut

Esaus

Esau, qui vnico edulio vendidit suum ius primogeniti.

17 Scitis enim eum etiam posteà, quum vellet hæreditario iure benedictionem assequi: reprobatum fuisse: non enim reperit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis benedictionem *illam exquisisset.*

18 Non enim accessistis ad contrectabilem montem, & incensum ignem, ac turbinem & caliginem, & procellam:

19 Tubaque sonitum & vocem verborum: quam qui audierant, deprecati sunt ne amplius sibi fieret sermo.

20 (Non enim ferebant quod imperabatur, Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur.

21 Et Moses (adeò terribile erat visum quod apparebat) dixit, Expauefactus sum ac tremebundus.)

22 Sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum.

23 Conuentum & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis: & iudicem vniuersorum Deum, & spiritus iustorum consummatorum.

24 Et ad noui Testamenti mediatorem Iesum, & sanguinem aspersionis, præstantiora loquentem quàm loqueretur sanguis Abel.

Reputate igitur) Quia Christus stadium sibi pro-

propoſitum per crucem & ignominiam decurrit, & per multas afflictiones gloriam conſecutus eſt, ideò nos quoque exemplo Chriſti hortatur ad afflictiones fortiter ſuſtinendas, nè animis deficientes fatiſcamus, atque ita remouet impedimentum perſeuerantiæ noſtræ, afflictiones & perſecutionem, nè propter eas deficiamus. Primum argumentum eſt ab exemplo afflictionum Chriſti, quod exaggeratur variis circumſtantijs, ad quarum ſeriam conſiderationem nos excitat, dum dicit (*Reputate*) Quo verbo innuit in paſsione Chriſti multa nobis eſſe diligenter conſideranda & ponderanda, quæ in nullius alterius paſsione occurrunt: Vt igitur Chriſti exemplo excitemur ad ferendum patienter afflictiones, oportet penitus inſpiciamus omnes circumſtantias paſſionis ipſius. *Quis ille*) Prima circumſtantia eſt perſonæ ejus qui afflictiones has ſuſtinuit. *Quis*, id eſt, quàm dignus, quàm excellens, vtpote Dominus gloriæ. Quàm indignum ſit Dominum glorię pati, & crucifigi ſignificat Paulus quum dicit, Nequaquam Dominum glorię crucifixiſſent. 1. Corinth. 2. 8. vbi gloriam Chriſti, & crucis ignominiam, tanquam res inter ſe pugnantiſsimas opponit. Quę enim poteſt eſſe conſenſio inter ſummam gloriam, & extremam ignominiam? Atque hęc cauſa etiam eſt cur temporaria ipſius mors ęquiua-

lens

lens fuerit morti æternæ, quæ peccatoribus debebatur, perſonę nimirum dignitas, quòd Filius Dei, Dominus gloriæ paſſus ſit in carne. *Tale*) Secunda circumſtantia eſt magnitudinis contradictionis, & omninò perpeſſionum quas ſuſtinuit: Nam contradictionis nomine, per ſynecdochen ſpeciei intelliguntur omnes perpeſſiones & afflictiones Chriſti. Vt prima circumſtantia ſignificat nullam vnquam fuiſſe tantam perſonam, ita ſecunda circumſtantia ſubindicat, nullam vnquam fuiſſe talem & tantam pœnam. Itaque ex hoc loco colligendum eſt, Chriſtum non exteriùs duntaxat paſsum in corpore (Nam ſi externam tantùm paſsionem reſpicias, latrones duo qui cum eo crucifixi ſunt ęqualem pœnam ſuſtinuerunt) ſed multò magis interiùs in anima, in qua pertulit cruciatus inferorum, & grauiſsimum illud pondus iręDei, quod neceſſariò ipſi incubuit propter ſuſcepta in ſe peccata omnium hominum, quę niſi ſumma & infinita pœna quæ omnes etiam reproborum cruciatus excederet, expiari non poterant. Atque hæc alia etiam cauſa eſt, cur temporaria ipſius mors æternam ęquipararuerit, ſupplicij nimirùm quod ad tempus perpeſſus eſt atrocitas. *A peccatoribus*) Tertia circumſtantia eſt perſonę perſecutorum, erant peccatores, hoc eſt, homines, non viliſſimi tantùm, ſed etiam ſceleratiſſimi. *Ne animis*) Hortationis

tationis ſumma: Nè deſpondeamus animos & in afflictionibus fatiſcamus, ſed fortitèr eas perferamus, ad hoc vt conſtanter propoſitum nobis ſtadium decurramus.

4 *Nondum ad ſanguinem*) Secundum argumentum à leuitate afflictionum, quas hactenùs ſunt perpeſsi. Nondum ad mortem vſque ſuſtinuiſtis afflictiones: ergo pergite eas patienter ſuſtinere. *Ad ſanguinem vſque*) id eſt, ad mortem ſiue ſanguinis effuſionem. *Reſtitiſtis*) Significat afflictionem poſitam eſſe in reſiſtendo, & opponendo. Chriſtus quum afflictus eſt, dicitur ſuſtinuiſſe contradictionem. Sic quum affliguntur pij, ijs reſiſtitur & ipſi reſiſtunt, vt non poſſit afflictio eſſe ſine lucta & oppoſitione. Ergo dicet quis, Afflicti non patiuntur voluntariè, quia reſiſtunt? Reſpondeo eos reſiſtere peccato, non afflictioni: Nam ſumma voluntate patiuntur afflictionem: etſi interèa dum patiuntur, continuò reſiſtunt peccato, & decertant aduerſus peccatum. Si enim peccato cederent non paterentur. Si Chriſtus ceſſiſſet peccato, non fuiſſet crucifixus, ſed cùm crucifixus eſt illi lucta fuit cum peccato. Interèa tamen dùm aduerſus peccatum decertaret, ſumma voluntate ſe cruci obtulit. Quia autem non cedunt pij peccato, ideò victores euadunt, etiam in ipſa morte.

5 *Et obliti estis*) Tertium argumentum ab authoritate & testimonio Solomonis. Prou. 3. 13. Testimonio huic præmittitur objurgatio, qua reprehendit eorum obliuionē, eamq; exaggerat ex eo quod amicè ijs loquatur Sapiens, eos compellans filios. Nota igitur, ne has ipsas quidem compellationes quibus vtitur Scriptura, otiosas & inutiles esse, sed vnicuique suū inesse pondus. *Filiumi*) Subijcit ipsum testimonium, in quo dissuadet duo extrema, in quibus solent homines peccare. Primum est ne castigationem Domini omninò negligamus, & leuiter prętereamus, sine vlla vitæ emendatione, quam respicit Deus in nobis castigandis. Alterum est, ne animo deficiamus: Vult ergò teneri à nobis medium, vt castigationem Domini patienter ferentes, vitam emendemus.

6 *Quem enim diligit*) Ratio exhortationis à Sapiente subjecta, à dilectione Domini quæ castigatione illa arguitur. Dominus castigat quem diligit, Ergo &c. Nota castigationes signa esse amoris diuini: Nisi enim suos castigaret Dominus, perirent cum mundo: Cùm punimur (inquit Paulus) erudimur, nè cum mundo condemnemur. 1. Corinth. 11. 32. Loquitur autem hìc Apostolus, de paternis castigationibus, non autem de pœnis quæ proficiscuntur à Deo Iudice: Nam punit impios tanquam Iudex: At verò suos non punit tanquam Iudex,

sed

ſed caſtigat tanquam Pater, non ad interitum, ſed ad vitæ emendationem & mortificationem. Ergo ſignificat in afflictionibus attollendos eſſe animos ad amorem Dei, cujus aſpectu acerbitas afflictionis tanta ſuauitate tẽperatur, vt in medijs afflictionibus exultemus gaudio ineffabili & glorioſo.

7 *Si caſtigationem)* Applicat ad Hebræos hoc teſtimonium, quaſi dicat, Si caſtigationem ſuſtinetis, Deus, vt hìc teſtatur Solomon, ſeſe vobis offert vt filijs. Nota: non dicit, ſi caſtigamini (vt poſtulare videbantur Sapientis verba) ſed ſi caſtigationem ſuſtinetis. Non enim ſatis eſt caſtigari, ſed oportet ſuſtinere, hoc eſt, patienter ferre afflictionem, & vt loquitur Petrus 1. Epiſt. 5. 6. ſubmittere nos potenti Dei manui. Qui enim luctatur cum manu Dei, ei ſeſe Deus non offert vt filio. Ergo dilectionem Dei non oportet metiri ex afflictionibus, ſed ex patientia in afflictionibus, ſine qua nihil proſunt afflictiones. *Quis enim eſt*) Ratio cur caſtigationem ſuſtinentibus offerat ſe Deus vt filijs, ab ipſo genere. Filius quilibet caſtigatur à Patre. Ergo hoc ipſo quod vos caſtiget Deus & ſuſtinetis, offert ſe vobis vt Pater filijs.

8 *Quod ſi eſtis*) Illuſtratio hujus applicationis à contrario. Qui non caſtigatur eſt ſpurius, & non filius. Ergo &c. Quemadmodum caſtigatio eſt ſignum filij: Ita impunitas iſta cùm

quis non castigatur, signum est spurij & nothi. In educandis liberis videmus non tantam esse in parentibus spuriorum curam, quanta est filiorum legitimorum: quia non est ea parentum dilectio erga spurios quæ est erga filios legitimè procreatos. Ita Deus spurios, qui non sunt filij, præterit castigationis expertes, cùm interea filios, quos paterna dilectione prosequitur, castiget. *Cuius participes*) Obiter subindicat hanc esse communem filiorum conditionem, vt castigationis sint participes, vt si quis renuat castigationem sustinere, eo ipso arguat se non esse filium.

9 *Deinde corporum*) Argumentum quartum à minori. Patres corporum nostrorum castigarunt nos & eos sumus reueriti: Annon multò magis subijciemur Deo, Patri Spirituũ? Deum vocat Patrem Spirituum, hoc est, animarum nostrarum, quia Deus immediate animã creat, eamque in corpus infundit: Nam etsi corpora immediatè sint ab hominibus gignentibus propagatione naturali, animæ tamen non sunt ex traduce, neque à Parentibus procreantur, sed à Deo immediatè creantur. *Reueriti sumus*) hoc est, ijs nos submisimus castigantibus. Quodsi patienter aliquid ab hominibus toleramus, qui carnem tantùm nostram genuerunt, annon multò magis à Deo, & corporum, & animarum genitore; qui corpora quidem genuit

per

per homines, animam autem immediatè? Deus igitur plus habet in nos juris, quàm vllus homo, vel hoc ipso, quod Pater sit Spirituum: eòque debemus Deo majorem reuerentiam, quàm cuiquam homini, etiam patri, cui in Deo duntaxat parendum est. Homo non aliud jus, non aliam in nos potestatem, habet, quam à Deo accepit, vt non sit absoluta potestas nisi Dei solius: eòque etiam reuerentiam debemus Deo primùm ac propriè, homini autem propter Deum. *Et viuemus*) Amplificatio subjectionis qua Deo subijcimur, ab effecto consequente. Debemus eò magis Deo subijci, quod reuerentiam & subjectionem erga castigantem nos Deum sequatur vita. Hominum castigatio nunquam affert vitam: at Dei castigatio vitam affert, eamq; æternam.

10 *Nam illi ad*) Amplificatio superioris comparationis minorum, à dissimili castigationis modo & fine. Patres castigabant nos prout ipsis videbatur, sæpè ex corrupto aliquo affectu, non aliquo nostro bono. Deus autem nos castigat ad commodum nostrum. Ergo multò magis debemus nos Deo castiganti submittere quàm Patribus. *Ad paucos*) Notatur tempus castigationis, quod mihi quidē cōmune videtur vtriq; castigationi, & Dei, & hominis: nā vterq;, & Deus, & homo, ad paucos dies castigant. Vt enim castigatio paterna breuis est & momē

tanea, ita etiam illa Dei castigatio momentanea dicitur. 2. Corinth. 4. 17. *Vt participes*) Finis & vsus castigationis Dei: Non castigamur propter peccatum, aut peccati nomine: id enim Christi passioni, qui perfectè pro omnibus peccatis nostris satisfecit plurimùm derogaret: sed castigationis finis est, vt mortificato in nobis peccato, participes simus sanctimoniæ Dei.

11 *Omnis autem*) Occupatio. At durum est & insuaue castigari, & tristitiam, non gaudium affert; Respondet concessione primùm, deinde correctione: In præsens quidem, h. e. eo tempore quo quis castigatur, non videtur esse gaudij, sed tristitiæ. *Videtur*) Hoc verbo subinnuit castigationem non esse reipsa materiam tristitiæ, sed potiùs gaudij, sed ita videri nobis qui in rebus judicandis fallimur, & quibus multa videntur esse id quod non sunt. Admiranda enim est hominis cæcitas, vt quod ipsi bonum est & salutare, sæpè videatur perniciosum, contràque. Non igitur oportet res metiri ex præsenti sensu, sed intuendum est in exitum rei cujusque. *At postea*) Correctio. Etsi in præsens videtur esse tristitiæ, postea tamen fructũ tranquillum reddit &c: Afflictiones & exercitationes comparat culturæ: Ager post culturam reddit fructum: Sic nos à Deo exculti per afflictiones fructus producimus. Sumus natura

tura ſteriles, expertes omnis boni & gratiæ, fœcundi autem mali, ſimiles terræ quæ profert ſpinas & tribulos, cujus exitus tendit ad exuſtionem. Heb. 6. 8. Oportet igitur à Deo excolamur, antequàm bonos fructus proferamus *Tranquillum*) Hoc epitheto ſignificat contrariam conditionem afflictionum, & fructus afflictionem conſequentis. Nam quamdiù affligitur quis, nihil ſentit præter agitationem & commotionem perpetuam, cùm animi, tùm corporis, ſed fructus afflictionis tranquillus eſt, & omnis agitationis expers. *Iuſtitiæ*) Fructus hic vocatur Iuſtitiæ: eodem ſenſu etiam corona juſtitiæ appellatur. 2. Timoth. 4. 8. quam rependit Deus juſtis, h. e. ijs qui juſtitię ex animo ſtudent, vel quę datur propter juſtitiam, non illam quidem inhærentem in nobis, ſed juſtitiam Chriſti nobis per fidem imputatam. Rom. 5. 21. Gratia regnat per juſtitiam in vitam ęternam.

12 *Quapropter manus*) Concluſio eſt hortationis ad patientiam in afflictionibus, quaſi dicat, Ne deſpondete animos, ſed eos erigite, & voſipſos ad afflictiones perferēdas cōfirmate. Habes hìc imaginem quandam hominis meticuloſi, & animum planè deſpondentis. Manus habet remiſſas, tremulas, & pendulas, genua ſoluta, & ſeſe inuicem collidentia, vt de Belthezaro legimus, Dan. 5. 6. Non oportet

nos ſic afflictionibus conſternari, ſed animo præſenti alacriter eas ſuſtinere. Eſtque hæc prima exhortatio ſpecialis, ſub generali illa ad perſeuerantiam comprehenſa, ad afflictiones fortiter ſuſtinendas.

13 Et rectas facite) Secunda exhortatio ſpecialis, vt præeant alijs bono exemplo. Nam in ſtadio decurrendo non tantùm debemus noſipſos reſpicere, ſed & alios qui nos imitantur. Hęc exhortatio, vt & proximè ſuperior, metaphoricis verbis concepta eſt. Rectas (inquit) facite orbitas pedibus veſtris, hoc eſt, bono exemplo aliis præite, & inter ambulandum, recto, juſtitiæque operam date. *Ne quod claudum*) Finis ſpecialis hujus exhortationis, vt conſulatur ſaluti fratrum infirmorum, ne orbitis pedum veſtrorum non rectis, hominum (qui alioqui tota vita claudicant) pedes magis luxentur: vt hominis claudi pes, ſi ad iter aſperum & non rectum offenderit, luxatur ampliùs, ad ipſius euerſionem. Nam in hanc ſententiam accipiendum videtur verbum ἐκτρέπεσθαι pro eo quod eſt luxari, vel diuerti à juſto acetabulo, & commiſſura oſſium, ac ſi dixiſſet: Ne fortè ſi quis jam claudus eſt ex infirmitate pedum, ampliùs nouo offendiculo periclitetur, vt ſalutis jacturam faciat, ſed potiùs veſtigijs veſtris rectis inſiſtens, ſanitatem recuperet. Vt igitur ſuprà verſu 1. hortatus

eſt

eſt ad currendum : Ita hìc modum currendi generaliorem præſcribit, vt rectas orbitas faciant: ſequentibus autem hortationibus cùm pacem, ſanctimoniam &c: commendat, particulares explicat currendi modos, ſub hoc generali comprehenſos.

14 *Pacem ſectamini*) Tertia ſpecialis exhortatio ad pacē, quæ primus eſt currendi modus ſpecialis. Pacis nomine intelligo non externā tantùm illam, quę in externa conjunctione poſita eſt, ſed etiam internā quę poſita eſt in conjunctione animorū. Eſt enim pax vinculū quo animi vniuntur, docente Paulo. Eph. 4. 3. Studētes ſeruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis. *Cum omnibus*) Oſtendit cum quibus colenda ſit pax, cum omnibus nimirum, h. e. cujuſcunque generis & conditionis hominibus, ſeruata tamen reſtrictione quam adijcit Paulus. Rom. 12. 16. Si fieri poteſt, quantū in vobis eſt, cū omnibus hominibus in pace viuentes. Neq; enim vera eſt illa pax, quam cum nonnullis colimus, dum interea diſcordia nobis cum alijs intercedit. Nam vera pax vbiq; eſt, & cum omnibus hominibus, nullam cum quoquam diſſētionem admittens. *Et ſanctimoniam*) Quarta exhortatio ſpecialis, ad ſanctimoniā: quæ ſecundus eſt currendi modus ſpecialis. Sanctimonię nomine intelligenda videtur hoc loco, tū in genere vitæ ſanctitas, tum etiā in ſpecie caſtitas;

Nam

Nam infrà vers. 16. scortationem simul & profanitatem, tanquam sanctimoniæ contrarias, conjungit. Castitas autem peculiariter interdum nomen sanctimonię obtinet. vt 1. Thess. 4. 4. vbi sanctimoniam definit per abstinentiam à scortatione. Hæc (inquit) est volũtas Dei, nempe sanctificatio vestra, id est, vt abstineatis à scortatione: & castus peculiari modo purus & sanctus dicitur, vt contrà peculiarem quandam impuritatem in scortatione innuit Paulus. 1. Cor. 6. 18. Qui scortatur in proprium corpus peccat. *Sine qua nemo*) Ratio hortationis ad sanctimoniam, à summo malo & incommodo, quod sanctimoniæ defectum sequitur. Sine ea nemo videbit Dominum. Nullus enim impuro & polluto homini ad Deum patet aditus. Nam impuritas habitationem Spiritus sancti, omnemque Dei præsentiam, cùm in corpore, tùm in anima, penitùs exterminat, vt videri Deus non possit: Cum contrà sanctimonia Dei præsentiam afferat. Vnde Christus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matt. 5. 8.

15 *Prospicientes ne quis*) Tertius currendi modus specialis, & exhortatio specialis quinta, quæ alios respicit, vt prospiciamus ne quis deficiat à gratia Dei. Sic obseruationem aliorum commendat, vt suprà 10. 24. Obseruemus alij alios. Attendendum nobis est etiam ad alios,

vt

vt illi vnà nobiſcum currant, non autem prolabantur & deficiant. *Ne qua radix*) Quartus currendi modus ſpecialis, & exhortatio ſexta, proximum etiam reſpiciens; vt proſpiciamus ne qua ſuppullulet radix amara, h. e. hæreſis, aut aliquid ſimile, quod ſit offenſioni, vt Deut. 29. 18. radix proferens cicutam, aut abſinthiũ. Euellenda eſt hujuſmodi amara radix, antequàm incipiat pullulare, ne offendiculo ſit currentibus alijs. *Obturbet*) Amaræ huic radici duo tribuit effecta, quæ totidem ſunt exhortationis argumenta. Primum eſt conturbatio. *Et per hanc*) Secundum eſt inquinatio multorum.

16 *Ne quis ſit*) Quintus ſpecialis currendi modus, & exhortatio ſeptima, vt proſpiciamus ne quis ſit ſcortator aut profanus. Speciem præmittit generi: Nam profanitatis ſpecies quædam eſt ſcortatio. Eſt autem profanus qui Deum ejuſque gratiam, ſancta denique omnia & religioſa contemnit & irridet. *Velut Eſau*) Diſſuadet à profanitate, exemplo Eſau, cujus profanitas facto ipſius exponitur; vnico edulio vendidit jus primogeniti. Vide Geneſeos 25. 30. & deinceps. Ius autem primogeniti poſitum fuit in duabus prærogatiuis, vna dignitatis qua inter fratres primatum tenebat, & eos ſibi ſubjectos habebat. 2. Chron. 21. 3. Altera roboris, ex dupla portione quæ ipſi ex paterna hę-

reditate

reditate cedebat. Deut. 21. 17. Vide de hac duplici prærogatiua. Geneſeos 49. 3. & 1. Chron. 5. 12. Vnde etiam primogenitus typus erat Chriſti primogeniti Dei, qui omnes fratres honore & potentia antecedit. Vendito igitur jure primogeniti, Eſau, & recuſauit typus eſſe Chriſti, eòque Chriſtum contempſit, & hæreditatem amiſit terræ Canaan, quæ typus erat regni cœlorum.

17 *Scitis enim eum etiam*) Oſtenditur judicium quo punitum eſt profanum hoc factum, cùm vellet hæreditario jure benedictionem aſſequi, reprobatus eſt à Deo per Iſaacum, & jus primogenituræ, & in dignitate, & in dupla portione, datum eſt Iacobo, cui illud vendiderat. Vide Geneſeos 27. 35. & deinceps. *Non enim reperit*) Reprobationem Eſaui oſtendit, ex immutabilitate ſententiæ benedictionis de Iacobo pronunciatę ab Iſaaco patre. Non reperit locum pœnitentię patris Iſaaci, h.e. non potuit efficere vt Iſaacum patrem pœniteret benedictionis quantumuis ex errore in Iacobum collatæ, vt ſententiam illam benedictionis retractaret; quamuis cum lachrymis benedictionem illam exquiſiſſet, vt benedictionem recuperaret. Vide Geneſ. 27. 39. Pronomen ἀὐτὸν proximè ad μετανοίας vocem referendum videtur. Eſt ergo hoc primum dehortationis à profanitate argumentũ.

Eſau

Esau profanus tristem & miserabilem profanitatis suę exitum consecutus est. Ergo cauenda est ejus exemplo profanitas.

18 Non enim accessistis) Alterum argumentū dehortationis à profanitate, à præsenti eorum conditione, quam copiosè hoc loco describit: Est autem conditio hæc præsens eadem illa quam Paulus paucis verbis expressit. Rom. 6.14. Peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia. Argumentum igitur est in hanc formam. Estis sub Euangelio: Ergo non oportet vos profanè viuere. In summa luce non debet quis ambulare ac si in tenebris esset. Interdiu enim compositè ambulandum. Nox processit (inquit Paulus) dies autem propinquat: Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conueniat; vt interdiu compositè ambulemus. Rom. 13. 12. Habitum autem illum luci conuenientem, interpretatur esse Christum. vers. 14. Sic argumentatur etiam Apostolus. Tit. 2. 12. & deinceps. Illuxit gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate &c. Tractatur hoc argumentum ex diuersis, καθ' ἀφαίρεσιν & θέσιν. Contrarium vnum remouetur, alterum ponitur. Remouetur conditio sub lege, vt locus sit conditioni sub gratia & Euangelio. Neq; enim vtraque cōditio potest simul consistere in eodē homine

Con-

Conditio hæc ſub lege amplificatur à terribili forma legis promulgatæ, quæ legis terrores indicat. *Contrectabilem*) Forma promulgatæ legis ſuis quibuſdam partibus exponitur: de quibus vide Exod. 19. Prima pars formæ legis promulgatæ, eſt in loco ex quo promulgata eſt Lex, Monte nimirum Sinai. Extenuatur autem hic locus à materia, fuit mons craſſæ & terrenę, eòque contrectabilis materiæ, qui manibus palpari poſſet, quo diſtinguitur hic locus à cœlo, quod manibus contrectari non poteſt. *Et incenſum*) Secunda pars formæ promulgatę Legis, in terribilibus illis ſignis, quę Dei præſentiam in illo monte teſtabantur, cùm ex eo Lex promulgaretur, vt fuerunt hæc meteora, ignis incenſus, turbo, caligo, procella. Deus enim ipſe nullo ſenſu percipi poteſt, ſed per ſenſibiles iſtas creaturas ſe præſentem declarat.

19 *Tubæque ſonitum*) Tertia pars formę promulgatæ legis, in ſonitu tubæ, quo præparabatur populus ad audiendum vocem Dei. *Et vocem*) Quarta pars eſt ipſa vox legis promulgatę, quæ tubæ ſonitum eſt inſecuta. *Quam qui*) Amplificatio vocis hujus quę audita eſt ex hoc monte, ab effecto (in terrorem incutiendo audientibus) eoque duplici. Primum eſt in populo: alterum eſt in Moſe ipſo, duce populi. Effectum in populo eſt: Adeò ad auditam illam vocem exhorruerunt, vt audire eam non ſuſti-

ſuſtinuerint, ſed deprecati ſunt nè ampliùs ſibi fieret ſermo per ipſum Deum immediatè, ſed loqueretur per Moſen internuncium. Cauſſa autem hujus terroris fuit, quod terrore hoc externo in lege promulganda excitatus eſt internus conſcientię terror, quòd exactam illam Dei in lege juſtitiam (cui nullus hominum ſatisfacere poteſt) ferre non poſſent.

20 *Non enim ferebant*) Altera cauſſa terroris in populo, à Dei interdicto, quo per Moſen vt internuncium ſignificauerat Deus, morte afficiendum eſſe quicquid montem tangeret, nō homo tantùm, ſed etiam beſtia. Vide Exod. 19. 13. idque propter pręſentiam ſacroſanctę illius Majeſtatis Dei, ad quam impurę & pollutę creaturę nullus patet acceſſus, niſi priùs ſanctificetur. Itaque neceſſe fuit Moſen etiam ſanctificari antequàm hunc montem attingeret.

21 *Et Moſes*) Effectum vocis auditę in promulganda lege, in ipſo Moſe, qui & ipſe quoque eſt exterritus, vt hac voce confeſſus eſt: Expauefactus ſum ac tremebundus. Hæc quidem Moſis verba non expreſſè in Scripturis habentur, ſed Exod. 19. 19. dicitur Moſes, quū populum obuiam Deo è caſtris eduxiſſet, totuſque mons ille tremeret, locutus eſſe, antequam Deus planè ad montem Sinai deſcendiſſet: quid autem locutus ſit, eo loco non exprimitur

primitur, ſed hoc loco afferuntur verba, quibus Moſes ſono illo tubæ territus, de ſuo terrore conqueſtus eſt, & Deus ibi dicitur ipſi reſpondiſſe voce, hoc eſt, placidis verbis Moſen, de conſeruatione ſua agentem, conſolatus eſſe & confirmauiſſe. Hactenùs fuit primum membrum diuerſorum. Conditio ſub lege, quã expreſſit terribili illa legis promulgatione.

22 *Sed acceſſiſtis*) Sequitur conditio ſub Euangelio, quę amplificatur deſcriptione Eccleſiæ noui Teſtamenti. Deſcribit eam primùm ex varijs, ijſque ſuauiſſimis appellationibus typicis, quibus locus innuitur: Primùm vocatur mons Sion. Monti Sinai ex quo promulgata eſt lex, ex aduerſo opponit montem Sion (qui typus erat cœlorum) ex quo primùm perſonauit Euangelium. Nam primùm Chriſtus ipſe, deinde ejus Apoſtoli, perſpicuè ex Sione Euangelium promulgârunt, juxta Eſaiæ vaticinium. Ieſ. 2. 3. *Et ciuitatem*) Altera loci appellatio: vocatur ciuitas Dei viui, hoc eſt, cœleſtis Hieruſalem, quę per terreſtrem illam figurabatur, vt ſubjecta tertia appellatione interpretatur: His ergo tribus nominibus, vnum eundemque locum ſignificat. *Et myriadas*) Secunda pars deſcriptionis Eccleſiæ, à perſonis varijs ijſque præſtantiſſimis, quæ ſunt in hoc loco, & ad quas accedimus. Perſonæ primùm ſunt Angeli, ijque non pauci, ſed numero

numero infiniti. Nam myriadas vocat Angelorum, numerum finitum pro infinito exprimens.

23 *Conuentum*) Deindè electi omnes quos vocat primogenitos, nec primogenitos tantùm, sed conuentum & concionem primogenitorum, quo significat immensum eorum numerum: quo autem major electorum numerus eò major fœlicitas & gloria. Vocantur autem electi primogeniti, per allusionem ad primogenitos in populo Dei, qui habebant, tum dignitatem & authoritatem in reliquam familiam, tum duplam hæreditatis portionem: Ita electi omnes obtinent primùm dignitatem cœlestem, cujus typus erat dignitas illa in familijs. Deindè hæreditariò possidebunt regnum paratum ipsis à jactis mundi fundamentis. Matth. 25. 34. *Qui conscripti*) Descriptio est primogenitorum: Conscripti sunt in cœlis, id est, à Deo electi sunt ad vitam æternam. Nam electorum nomina dicuntur scripta esse in cœlis. Luc. 10. 20. & in libro vitæ. Philipp. 4. 3. quibus phrasibus significatur eos æterno illo electionis decreto ad vitam æternam esse ordinatos. *Et iudicem vniuersorum*) Tertiò in personis quarum præsentia fruimur in cœlesti illa Hierusalem, numeratur Deus, quem vocat judicem vniuersorum, qui solus justissimo suo judicio afflictionem reddit ijs qui fideles affi-

 gunt,

gunt, ipsis autem fidelibus relaxationem. 2. Thess. 1. 6. 7. *Et spiritus*) Quarto loco recensetur spiritus justorum consecratorum, hoc est, animas fidelium defunctorum, jam in cœlum receptas. Nam homines qui sunt in Ecclesia, vel sunt adhuc in corpore degentes in terris, quos initio versus vocauit primogenitos: vel depositio hoc corporis tabernaculo in cœlis triumphāt cum Christo, vt sunt spiritus justorum, qui consummati hìc dicuntur, hoc est, consummatam & perfectam sanctificationem & gloriam adepti, non quidem secundum omnes consummationis gradus, sed secundum aliquos tantùm: cùm quòad animam præsentes jam sint cum Domino. Consummati igitur sunt non simpliciter, sed κατὰ, respectu nostri, qui adhuc aduenę sumus in corpore, & peregre a Domino absumus.

24. *Et ad mont*) Postremò inter personas recēsetur Iesus, noui fœderis Mediator, per quem solum κοινωνίαν habemus cum Angelis, cum primogenitis qui conscripti sunt in cœlo, cum Deo vniuersorum judice, cum spiritibus deniq; justorum. Nam in eo recolliguntur omnia, tùm quę in cœlis, tùm quæ in terris. Ephes. 1. 10. Dicitur noui Testamenti Mediator, quia nouum illud Testamentum, quo legauit nobis remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, sanciuit suo sanguine. *Et sanguinem*

Cum

Cum Christo conjungit ejus sanguinem, quo purgatur conscientia nostra, eumque à Christo seorsim nominat, vt doceat videndum nobis esse vt sanguine hoc aspersi & irrigati simus: cùm alioqui nullum ex Christo beneficium percipere possimus. Ideoque sanguis aspersionis dicitur, quod eo per fidem aspersa fidelium corda sanctificentur, & à sordibus peccatorum abluantur, allusione facta ad veterem legem, in qua omnia ferè sanguine aspersa mūdabantur, suprà 9. 22. *Præstantiora)* Commendat hunc Christi sanguinem ab effecto, quod illustrat comparatione Abelis: Sanguis Christi præstantiora loquitur quàm sanguis Abelis. Nam sanguis Abelis loquitur & postulat à Deo vindictam: At sanguis Christi postulat à Deo misericordiam & gratiam. Quanquam non incommodè, & tùm ad græcum contextum, tum ad sequentem exhortationem magis etiam appositè, locutio hæc ad ipsas personas referri possit; quod Christus suo sanguine præstantiora lòquatur, quàm Abel, qui mortuus adhuc loquitur, suprà 11. 4. & vindictam à Deo expoſcit; cum Christus suo sanguine veniam & remissionem peccatorum postulet.

25 *Videte ne aspernemini eum qui loquitur: nam si illi non effugerunt qui auersabantur eum qui loquebatur Dei nomine in terra, multò magis*

nos, si eum qui de cœlis est auersemur.

26 Cuius vox tunc concussit terram: nunc autē denunciauit, dicens, Adhuc semel ego concutiam non solùm terram, sed etiam cœlum.

27 Porrò illud, Adhuc semel, declarat instabilium rerum, vtpote factitiarum, amotionē, vt maneant quæ sunt stabilia.

28 Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, teneamus gratiam per quam ita seruiamus Deo, vt ei placeamus cum verecundia & reuerentia.

29 Etenim Deus noster, consumens ignis est.

Videte ne aspernemini) Occasione proximorum verborum quibus sanguinis Christi efficaciam commendauit, redit ad præcipuam exhortationem ad perseuerantiam: Nè Christum loquentē aspernemur, sed teneamus ejus doctrinam. *Nam si illi)* Argumentum exhortationis decimumsextum, à judicio quod sequetur eos, qui Christum loquentem aspernantur: judicium hoc confirmatur duobus argumentis. Primum est à comparatione minorum. Si illi non effugerunt qui Mosen Dei nomine in terris loquentem, auersabantur: quantò magis non effugiemus nos, si Christum è cœlis loquentem aspernemur? Quò enim dignior est persona quæ loquitur, eò magis puniendi sunt qui loquentem auersantur. Simile argumentum vide Heb. 2. 2. 3. & 10. 28. 29.

26 Cuius

26 *Cuius vox)* Secundum argumentum quo confirmat judicium eorum, qui Christum loquentem auersantur, est à vi & efficacia vocis Christi loquentis, tam præterita in promulganda lege, quã præsenti in prædicando Euangelio. *Cuius vox tunc)* Cum promulgaret legem concussit terram, hoc est, homines in terris degentes, qui lege promulgata admiratione maiestatis ipsius affecti sunt. At nunc (in prædicando Euangelio) non solùm concutit terram, hoc est, homines, sed etiam cœlum, hoc est, Angelos qui in cœlis degunt, qui etiam ipsi in Euangelij prędicatione, in admirationem bonitatis & gratiæ Dei abripiuntur, & in mysteria Euangelij desiderant introspicere. 1. Pet. 1. 12. Cùm ergo tanta sit efficacia vocis ipsius, & nunc, & jam olim, non effugietis judicium, si eum loquentem aspernemini. *Dicens adhuc)* Concussionem hanc cœlorum & terrę, in Euangelij prædicatione, confirmat testimonio Aggæi Prophetę cap. 2. vers. 7. vbi prædicitur ista cœlorum simul & terræ cõmotio in Euangelio prædicando, quæ summam arguit esse majestatem & dignitatem Euangelij. Quanquam non incommodè concussio ista intelligi possit de externa illa commotione cœli & terræ, ad vocem Christi exspirantis in cruce, cùm tenebris super totam terram inductis Sol obscuratus est, aulęum Templi fissum

est medium, terra mota est, petræ fissæ sunt Matth. 27. 50. 51. & deinceps. Luc. 23. 44. 45.

27 *Porrò illud adhuc*) Interpretatur illud Aggęi testimonium; & ex illis Prophetę verbis (*adhuc semel*) deducit corollarium, de abrogatione Legis, & ęternitate rerum per ceremonias legis & politiam Mosaicam significatarum, hoc est, sacerdotij, & regni Christi, vt inde aliud institutę hortationis argumentum elicia Cum enim dicit, *adhuc*, significat non sati esse quòd jam anteà concussa esset terra in ferenda lege, sed adhuc oportere legis hujus immutationem esse. Cùm autem addit *Semel* significat vnicam duntaxat fore illam mutationem, vt quod in locum legis succesturum fi maneat perpetuum & immutabile. Τὰ σαλευόμενα ea quæ concutiuntur, vocat legem Mosaicam omnesq; legis ceremonias, & instrumenta qu legalibus ceremonijs seruiebant, quæ natur erant instabilis, & non permanentis. *Utpu factarum*) Ratio instabilitatis istarum rerum quia institutę quidem & mandatę erant à De sed ad certum aliquod tempus, ad aduentu vsque Christi. Galat. 3. 19. Cujus quùm ty & vmbrę essent, debebant aduentanti corpo cedere: τὰ μὴ σαλευόμενα, stabilia, vocat ea quæ p instabilia fuerunt significata, & in locum i stabilium successerunt, vt est Christus ipse, ej regnum, & omnia bona quæ consequimur

Christ

Christo, vt sunt justificatio, sanctificatio & cœlestis illa hæreditas, quæ omnia necessariò æterna manent.

28 *Quapropter regnum*) Ex hac conditione Regni Christi, ex interpretatione verborum Prophetæ sumpta, deducit argumentum nouum præcipuæ exhortationis, ad perseuerandum in fide, & gratiam retinendam. Si gratiam tenuerimus, participes erimus regni illius, quod concuti non potest. Ergo &c. Estque hoc argumentum exhortationis decimumseptimũ. Gratiæ nomine intelligo fidem ex Dei gratia profectam; metonymia efficientis. *Per quam*) Descriptio gratię siue fidei ab effecto: fides enim non potest esse otiosa in nobis, sed necessariò producit hoc effectum, vt seruiamus Deo. *Vt ei placeamus*) Modus seruiendi Deo præscribitur, primùm in genere, vt seruiamus ei ad ipsius voluntatem, & placitum, facientes ex animo quæ vult Deus. Ephes. 6. 6. Deinde in specie, cum verecundia & reuerentia. Verecundia est pudor, ex infirmitatis nostræ & indignitatis conscientia. Reuerentia est religiosus metus ex agnitione illius Majestatis Dei nostri, cui seruimus. Harum proprietatum exemplum habes in Publicano. Luc 18. 13. vt & audacię, quæ his opponitur, in Pharisæo.

29 *Etenim Deus*) Postremum exhortationis argumentum, à natura Dei nostri, est ignis cõ-

ſumens, eò q; conſumpturus eſt omnes qui non perſeuerantes in fide, ipſi non ſeruiunt juxta ipſius placitum. Hoc argumentum mutuatus eſt ex Moſe. Deut. 4. 24.

Argumentum Capitis decimitertij.

HOc capite primum ſunt ſpeciales parænefes, quibus hortatur ad officia, maxime quæ ad ſecundam legis Tabulam pertinent ad verſum vſque 18. Deinde commendat Hebræis preces pro ſe, ad verſ. 20. vbi epiſtolam hanc precibus primum, deinde hortatione, poſtremo aliquot aliis varij argumenti ſermonibus concludit.

CAPVT XIII.

FRraterna charitas maneat.

2 *Hoſpitalitatis ne ſitis immemores: per hanc enim quidam inſcij exceperunt Angelos hoſpitio.*

3 *Memores eſtote vinctorum tanquam vnà cũ illis vincti: eorum qui malis premuntur, ac ſi ipſi quoque corpore* afflicti *eſſetis.*

4 *Honorabile* eſt *inter quoſuis coniugium & cubile impollutum: ſcortatores autem & adulteros damnabit Deus.*

5 *Sint mores alieni ab auaritia:* eſtote *contenti præſentibus, dixit enim ipſe, Non te deſeram, neque te derelinquam.*

6 *Adeò vt confidenti animo dicamus, Dominus mihi auxiliator: nec timebo quid faciat mihi homo.*

7 *Memores eſtote ductorum veſtrorum, qui loquuti ſunt vobis ſermonem Dei: quorum imitamini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus conuerſatio-*

ſationis ipſorum.

8 Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula.

9 Doctrinis varijs & peregrinis ne circumferimini: bonum enim eſt gratia conſtabiliri cor, non cibis, quibus non ſunt adiuti qui in ipſis verſati ſunt.

10 Habemus altare ex quo non habent ius edendi qui tabernaculo deſeruiunt.

11 Quorum enim animalium ſanguis infertur pro peccato in ſacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra caſtra.

12 Quapropter & Ieſus, vt ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, paſſus eſt extra portam.

13 Exeamus igitur ad eum extra caſtra, opprobrium eius portantes.

14 Non enim habemus hic ſitam ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

15 Per ipſum igitur aſſiduè offeramus Deo ſacrificium laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.

16 Beneficentiæ verò & communicationis ne obliuiſcimini: talibus enim victimis delectatur Deus.

17 Obedite ductoribus veſtris, & obſecundate, vigilant enim ipſi pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: id enim eſt vobis inutile.

Fraterna

Fraterna charitas) Prima ſpecialis præceptio qua charitatem commendat, non generatim quamlibet, ſed φιλαδελφίαν, ſiue charitatem fraternam, qua tantùm proſequendi ſunt fratres, & domeſtici fidei, qui omnes ejuſdem Patris filij ſunt. Hanc diſtinguit Petrus à charitate, quam ἀγαπὴν vocat. 2. Epiſt. 1. 7.

2 *Hoſpitalitatis*) Duobus verſibus ſequentibus duo præcipiuntur officia, quæ ex charitate fraterna, tanquam propria ipſius effecta, profluunt: Hoſpitalitas nimirum & συμπαθεία erga vinctos & afflictos, ſiue eorum recordatio: In his enim potiſſimùm effectis, per illa tempora quæ perſecutionibus feruebant (cum ſanctorũ peregrinationes & exilia, vinculaque & afflictiones frequentes eſſent) occaſio exercendæ charitatis offerebatur. Hoc verſu præcipitur hoſpitalitas. *Per hanc enim*) Hoſpitalitatem commendat argumento ſumpto ab honore illo ſingulari, qui Dei beneficio accidit quibuſdam qui hoſpitalitatis erant ſtudioſi, quod nimirùm Angelos hoſpitio exceperint. *Inſcij*) Amplificatur hoc eorum factum ex particulari circumſtantia inſcientiæ ipſorum, quod receperint Angelos cum putarent ſe homines recipere: Nemo enim tam eſt inhumanus, qui cognitos Angelos recuſaret domo excipere. Intelligit autem de Abrahamo, qui tres Angelos hominum ſpecie ipſi apparentes hoſpitio ex-

tio excepit. Gen. 18.2. & deinceps. In his exemplis generalis doctrina includitur: Non carituros suo præmio quicunque hospitalitati operam dederint.

3. *Memores estote*) Alterum charitatis officium quod præcipit est συμπαθεία & recordatio vinctorum & afflictorum propter Christum ejusque Euangelium. Modus hujus recordationis adjungitur, quòd perindè oporteat nos vinctorum & quomodocunque afflictorum meminisse, ac si vnà cum illis essemus vincti & afflicti. Nihil enim est, quod nos seriò misericordię sensu magìs afficiat, quàm si eorum qui affliguntur personam in nos transferamus. *Vt qui ipsi*) Ratio præceptionis à communione cum vinctis, & afflictis pro Christo: Estis in eodem cum ipsis corpore, membra nimirùm ejusdem corporis cujus Christus est caput: Debet autem inter membra ejusdem corporis ea esse συμπαθία, vt si patitur vnum membrum simul doleant omnia membra. 1. Corinth. 12.26. Itaque græca verba ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι, sic ad verbum transferenda censuerim (vt qui ipsi etiam sitis in corpore.)

4. *Honorabile est*) Quarta præceptio specialis, qua conjugium commendat, scortationem prohibet. Commendatur conjugium ex duobus adjunctis, primum est τιμὸν, hoc est, pretiosum, siue honorabile, non apud homines tantùm,

tùm, ſed etiam apud Deum, vt quod ab ipſo inſtitutum ſit & celebratum in paradiſo ante hominis lapſum, cum adhuc eſſet homo in ſtatu innocentiæ & integritatis. *Inter quoſuis*) hoc eſt, inter cujuſcunque ordinis, & conditionis homines, vt in nullo hominum genere culpari debeat. *Et cubile impollutum*) Alterum adjunctum quo commendatur conjugium, quod cubile ejus ſit impollutum, hoc eſt, purum & omnis culpę ac pollutionis expers, vtpotè quod à Deo ſanctificatum ſit, vt quibuſuis hominibus eo bona conſcientia vti liceat. *Scortatores autem)* Ratio dehortationis à contraria ſcortatione & adulterio, eſt à judicio Dei. Deus ſcortatores & adulteros judicabit, hoc eſt, damnabit. Iudicium ſiue damnationem intellige ęternam. Eodem ſenſu paſſim docet Paulus ſcortatores regni Dei hęreditatem nunquam poſſeſſuros. 1. Cor. 6. 9. 10. Gal. 5. 21. Epheſ. 5. 5.

5 *Sint mores alieni*) Quinta pręceptio ſpecialis, qua prohibet auaritiam, contrà autem præcipit vt contenti ſint præſentibus. Vide 1. Timoth. 6. 6. & deinceps. Vbi φιλαργυρίαν vocat malorum omnium radicem, animum autem ſua ſorte contentum conjungit cum pietate, tanquam ejus effectum neceſſarium. Animi autem pręſentibus contenti illuſtre exemplum in ſua perſona exhibuit nobis Paulus

lus. Philipp. 4. 11. 12. 13. *Dixit enim ipse*) Ratio præceptionis à promiſſione Dei, quæ hìc à perſona promittentis amplificatur, ipſe inquit, hoc eſt, Dominus, dixit: & proferuntur in medium Dei verba, quibus Ioſuam ad vocationem ſuam alacriter obeundam confirmat. Ioſu. cap. 1. verſ. 5. hæc enim promiſſio Ioſuæ tanquam duci populi ſui facta, ad totum populum communiter ſpectabat, & ad omnes pios vocationi ſuæ incumbentes extenditur. Promittit autem Deus his verbis perpetuam præſentiam ſuam, quæ ſola nos præſenti conditione quacunque, & debet, & poteſt, contentos efficere. Auari animus ne toto quidem mundo contentus eſt, ſed quò plura habet plura appetit. Eſt enim cupiditas animi humani infinita, eòque nunquam plenè ſatiari poteſt, niſi impleatur præſentia Dei, qui ſolus eſt infinitus. Argumentum igitur eſt: Deus juxta promiſſionem à ſe factam perpetuò tibi præſens eſt. Ergo contentus eſto preſentibus, & alienus ſis ab auaritia. Auarus Deum non habet præſentem, ſed pro Deo habet diuitias, vnde Idololatra vocatur. Epheſ. cap. 5. verſ. 5. & auaritia idololatria. Coloſſ. 3. 5.

7 *Adeò vt cõfidenti*) Amplificat hanc Dei promiſſionem ab effecto, fide noſtra promiſſionẽ amplectente, & in ea confidenter gloriante.

Glo-

Gloriationis formulam ſingulis fidelibus præſcribit, ex Pſal. 118. 6. vbi Propheta fiducia præſentię & auxilij Dei ſe confirmat aduerſus quoſcunque hominum conatus. Vnde inferri poteſt generatim, non eſſe timendum nobis à rebus aduerſarijs quibuſcunq;, multo minùs à penuria & egeſtate.

8 *Memores eſtote*) Sexta præceptio ſpecialis, qua commendat ijs memoriam ductorum ſuorum, & nominatim exprimit, quos ductores intelligat, eos nimirùm qui locuti ſunt ipſis ſermonem Dei. Memoriam hanc definit in quo ſit poſita, in imitatione videlicet fidei & cõuerſationis ipſorum: Neq; enim nudam hìc fidem intelligit, ſed (vt ex ratione ſubjecta perſpicuum eſt) fidem agentem per charitatem, vt loquitur Paulus Galat. 5. 6. & in bona ac ſancta conuerſatione ſeſe exerentem. *Conſiderantes*) Argumentum hortationis eſt à conuerſationis ductorum fœlici exitu, ad cujus conſiderationem ipſos excitat, vtpotè cujus & ipſi quoq; futuri ſint participes, ſi eorum fidem imitentur. Nam ſimiles in fide & conuerſatione, neceſſe eſt etiam ſimilem exitum obtinere. *Ieſus Chriſtus*) Probat eundem fore eorum exitum, qui fuit ductorum, ſi eorum fidem imitentur, ab immutabili natura Ieſu Chriſti, qui ſemper idem eſt, & ſibi ſimilis, eòque quemadmodum ductorum fidem & conuerſationem fœlici exitu com-

compenſauit, ità etiam ſimilem ipſorum fidem & conuerſationem ſimili exitu compenſaturus eſt. Hac autem Chriſti deſcriptione, non tantùm innuitur ipſius immutabilitas, ſed & diſtinctione trium temporum, præteriti, præſentis & futuri (vt Apocal. 1.8.) æternitas denotatur, quæ duę ſunt proprietates diuinæ naturæ.

9 *Doctrinis varijs)* Septima præceptio ſpecialis, qua dehortatur à doctrinis varijs & peregrinis. Dehortatio expreſſa eſt allegoria à nauibus petita, quæ in mari circumferuntur vi ventorum: Doctrinis varijs, inquit, ne circumferamini: Qui enim non ſatis firmi ſunt in fide, doctrinis hominum tanquam ventis contrarijs hùc illùc agitantur. Doctrinas varias & peregrinas vocat quaſcunque doctrinas, quæ vel à Deo nunquam ſunt traditæ in verbo ſuo, vt ſunt hominum traditiones, vel quæ erant quidem veteri populo mandatæ, ſed abrogatæ ſunt in Chriſti aduentu, cujuſmodi fuit doctrina ceremoniarum legis quæ per Chriſtum abolitæ ſint. Hæ doctrinę variæ dicuntur & peregrinę, quod à doctrina Chriſti varient & à Deo pro ſuis non agnoſcantur. *Bonum enim eſt)* Ratio præceptionis ab inutilitate, quòd hæ doctrinæ non conducant ad conſtabiliendum cor, & ſolidam ei conſolationem miniſtrandum, ſed oporteat cor conſtabiliri doctrina Euangelij

uangelij, quam gratiam hìc appellat, quia tota eſt de gratia Dei in Chriſto Ieſu, de reconciliatione noſtra cum Deo, & redemptione gratuita per ipſius ſanguinem nobis parta. Hęc ſolùm doctrina vim habet ſtabiliendi corda, quę alioqui neceſſe eſt fluctuare, & quaſi vacillare. Gratiæ autem opponit cibos, hoc eſt, doctrinam de ciborum mundorum & immundorum diſcrimine legali obſeruando, hac vna ſpecie συνεκδοχικῶς omnem cultum ceremonialem intelligens. *Quibus non ſunt*) Probat hujus doctrinæ inutilitatem ab experientia, quòd qui in cibis illis verſati ſunt, hoc eſt, ciborum diſcrimen ſuperſtitioſè retinuerunt, & ceremonijs legalibus pertinaciter adhæſerunt, ea re non ſunt adjuti.

10 *Habemus altare*) Alterum argumentum dehortationis à doctrina ciborum, omninoq; ceremoniarum legis, ſumptum à pugna inter Chriſtum & ceremonias legis. Qui tabernaculo deſeruiunt, hoc eſt, obſtinatè retinent ceremonias legis, non poſſunt participes eſſe Chriſti. Nam Chriſtus cum ceremonijs conſiſtere non poteſt. Gal. 5. 2. quia ceremonię figurabant Chriſtum venturum, & nondùm veniſſe clamitabant. Ergo non ſunt retinendæ ceremoniæ legis. Altaris nomen per metonymiam ſubjecti poſitum eſt pro victima in altari oblata: intelligit autē Chriſtum, qui eſt Paſcha noſtrum

noſtrum pro nobis ſacrificatum. 1. Corinth. 5. 7. Hunc habent omnes quorum còrda gratia ſunt conſtabilita. Edere ex hoc altari, eſt eius eſſe participem per fidem, forma loquendi ex lege deſumpta: Qui enim ſacris operabantur & aſſidebant altari (vt loquitur Paulus. 1. Cor. cap 9. verſ. 13.) edebant ex ſacrificijs quæ offerebantur.

11 *Quorum enim)* Antecedentis ratio ſumpta à conſuetudine ex legis præſcripto ſeruata, in offerendis ſacrificijs expiatorijs, quæ typi erant vnici illius expiatorij ſacrificij Chriſti, in hanc formam: Si Leuitæ & Sacerdotes qui tabernaculo deſeruiebant, non habebant jus edendi ex illis animalibus, quorum ſanguis inferebatur pro peccato in ſacrarium per Pontificē (quia eorū corpora tota comburebantur extra caſtra) profectò neq; ex Chriſto jus edendi habent qui tabernaculo deſeruiunt. At primum. Ergo ſecundum. Propoſitio non eſt quidem expreſſè poſita, ſed pendet ex analogia, quæ eſt inter typum & rem typo ſignificatā. Quēadmodum enim eorum animalium quę offerebantur pro peccato, ſanguis inferebatur in ſacrarium per Pontificem: Ita Chriſti ſanguis illatus eſt in ſacrarium illud cœleſte per ipſummet Chriſtum tanquam Pontificem. Deindè quemadmodum eorum animalium corpora comburebantur extra caſtra: Ita Chriſtus

passus est extra portam, vt sequenti versu ostenditur. Vndesequitur, Quemadmodum qui tabernaculo deseruiebant, non habebant jus edendi ex illis animalibus, ità neque qui retinent ceremonias legis jus habent edendi ex Christo. Assumptio est hoc versu repetita ex lege Mosis, de sacrificijs pro errore summi sacerdotis & Ecclesiæ. Leuit. 4. 11. 12. & anniuersarijs diei expiationum. Leuit. 16. 27. Generalem legem vide Leuit. 6. 23.

12 *Quapropter &)* Accommodatio rei significatæ ad typum, quo res in Christo implendæ præfigurabantur, de qua jam proximè diximus. Christus (vt quod in illorum animalium, quę offerebantur pro peccato, exustione extra castra præfiguratum est impleretur) passus est extra portam vrbis Hierusalem. *Vt sanctificaret)* Passionem hanc Christi illustrat suo fine. Finis est sanctificatio populi, hoc est, electorum omnium per proprium ipsius sanguinem: Sanctificationis nomine hic intelligo non regenerationem, quæ proprie & immediatè fit per Spiritum Christi, sed gratuitam peccatorum remissionem & imputationem justitiæ ipsius, quæ propriè est per ipsius sanguinè quo aspersi inculpati & immaculati sistimur Deo Patri.

13 *Exeamus igitur)* Octaua preceptio specialis, ex proximis verbis; quibus dictum est, Iesum

Iesum vt sanctificaret populum extra portam passum esse, deducta: Hinc enim sequitur nobis etiam extra castra ad Deum exeundū esse, si sanctificationis per ipsius sanguinem volumus esse participes. Sensus est: Renunciandum nobis esse huic mundo, vtquasi exeamus extra eum, vt Christum sequamur, ferentes ipsius opprobrium. Neq; enim Christū sequi possumus, & ipsius crucē ferre, quamdiù corda nostra mundo huic & mundanis affectibus addicta sunt, eòque tum demùm eximus ad Christum cùm corda nostra & omnes affectus erigimus ad Deum, & à mundo sejungimus, atque intereà etiam dum in hoc mundo versamur, gerimus nos vt municipes cœlorum. Philipp. 3. 20. quod qui faciunt Christum sequuntur, & crucem ipsius ferunt patientissimè, imò gloriantur in afflictionibus Rom. 5. 3.

14 *Non enim habemus*) Ratio præceptionis: Non habemus in hoc mundo ciuitatem stabilem & permanentem, sed eam inquirimus futuram extra hunc mundum in cœlis vbi est Christus. Ergo exeundum nobis est ad eum extra castra: eo enim nobis est eundum vbi est ciuitas nobis stabilis & firma. Ciuitatem futuram vocat fixam illam, stabilem, & æternam, quam vocauit vrbem habentem fundamenta: supra 11. 10. & cœlestem patriam. Ibidem vers. 16.

15 *Per ipsum igitur*) Nona præceptio specialis ad sacrificium laudis Deo offerendum, ex præcedentibus deducta. Cum enim (vt dictum est) passus sit Christus, vt sanctificaret populum, per ipsum assiduè offerendum est Deo sacrificium laudis. Per Christum autem docet offerendum esse hoc sacrificium, quia nullum sacrificium potest Deo gratum & acceptum esse, nisi Christo mediante, & intercedente ipsius sacrificio, in quo, & nosipsi, & sacrificia nostra omnia Deo placent. *Id est fructum*) Interpretatur hoc laudis sacrificium, quod (ab externo organo quo vtitur cor in eo proferendo & exprimendo) vocat fructum labiorum confitentium nomini ejus. Videtur autem respicere ad locum illum Oseæ. 14. 3. vbi laudes Deo exhibitæ vocantur vituli labiorum.

16 *Beneficentiæ*) Decima præceptio specialis, qua aliud sacrificij genus commendat, sacrificium nimirùm beneficentiæ & communicationis facultatum, quas ad fratrum egentium necessitatem leuandam oportet impertiri: Nam hoc sacrificium spectat immediatè ad proximum, vt priùs illud immediatè ad Deum spectabat. *Talibus enim*) Ratio vtriusque præceptionis præcedentis, ab oblectatione Dei, qui nunc non typicis illis sacrificijs in lege præscriptis, sed his demùm veris sacrificijs, tanquam vnicè sibi gratis, delectatur

tur. Vocem ἐυαρεστῆται malè reddidit vetus interpres (promeretur) vt locum aliquem meritis noſtris inueniret: neque enim his victimis quicquam poſſumus apud Deum promereri, aut ipſi nobis acquirere, ſed ἐυαρεστεῖται dicitur Deus, quatenùs hæc officia Deo placent, eique grata ſunt & accepta. Hanc genuinam eſſe hujus vocis ſignificationem facilè animaduertet qui hunc locum contulerit cum Heb.11.5.6.

17 *Obedite ducibus*) Vndecima præceptio ſpecialis, vt ducibus, hoc eſt, paſtoribus, ductoribus, gubernatoribus, obedientiam & ſubmiſſionem præſtemus. *Vigilant enim*) Præceptionis hujus duas affert rationes, prima eſt à ducum officio, in quo laborant & præſunt gregi: Vigilant pro grege, & non pro ipſorum corporibus, ſed pro animabus, vt ſalutem conſequantur: atque eò magis obligamur ad obedientiam ipſis præſtandam. *Tanquam rationem*) Amplificatio hujus vigilantiæ pro animabus, ab obligatione qua obſtringuntur Deo, vtpote obiti hujus officij rationem ei reddituri. *Vt cum gaudio*) Ratio ſecunda eſt à fine obedientiæ ducibus præſtitæ: vt hoc quod ipſis incumbit muneris obeant cum gaudio, non cum gemitu, quem neceſſe eſt ſequi ex gregis inobedientia. *Id enim eſt*) Probat non eſſe paſtori vigilandum pro animabus

cum gemitu, quod hac ratione nihil vtilitatis ex ipsius laboribus redundet ad gregem, qui cùm debuerit esse pastori materia gaudij, vt Pauli exemplo intelligi potest. 1. Thessa. 2. 19. 20. inobedientia sua gemendi occasionem ei præbet.

18 Orate pro nobis: confidimus enim nos bonã conscientiam habere, vt qui in omnibus cupiamus honestè conuersari.

19 Amplius autem obsecro vos vt id faciatis, vt celerius restituar vobis.

Orate pro nobis) Secunda pars capitis, qua commendat Hebræis preces pro se. *Confidimus*) Causas precum quas vult pro se concipi duas affert, prima est à testimonio bonæ conscientiæ, cujus certum & indubitatum argumentum affert, à studio honestæ conuersationis in tota vita, & rebus omnibus, quod semper sibi adfuisse profitetur.

19 *Amplius autem*) Secunda causa est, Apostoli liberatio cum ipsorum commodo conjuncta, vt celerius ipsis restituatur ad communem nimirum consolationem percipiendã per mutuam fidem, vt loquitur Paulus. Rom. 1. 22. Atque hoc nomine eò magis serio has pro se preces flagitat.

20 Deus verò pacis author, *qui magnum illum ouium per sanguinem fœderis aterni pastorẽ, Dominum nostrum Iesum, à mortuis reduxit:*

21 Perficiat

21 Perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo per Iesum Christum: cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

22 Precor autem vos, fratres, sufferte sermonem exhortationis: etenim breuibus scripsi vobis.

23 Scitote fratrem nostrum *Timotheum solutum esse, cum quo (si celerius venerit) visam vos.*

24 Salutate omnes ductores vestros, & omnes sanctos. Salutant vos Itali.

25 Gratia sit cum omnibus vobis. Amen.

Deus verò pacis) Precatione primùm, deinde hortatione, postremò aliis aliquot sermonibus varij ac multiplicis argumenti, Epistolã concludit. Precatur Deum vt Hebræos perficiat in omni opere bono. Deum autem quem precatur describit ex duobus effectis. Primum effectum est pax. Pacem intellige illam Dei quæ superat omnem intellectum, quæque præsidio est cordibus ac mentibus nostris per Iesum Christum. Philip. 4. 7. Alterum est excitatio Christi à mortuis, quæ ipsius potentiam ad id efficiendum quod precatur luculentissimè demonstrat. Nam in hoc effecto Deus admirabilem suam potentiam maximè exeruit: Vnde Ephes. 1. 20. dicitur, efficacitatem fortis roboris Dei exertam esse in Christo, cum excitauit eum ex mortuis. *Magnum illum*) Iesum

à mortuis reductum, vocat, tum magnum illum ouium Pastorem, tum Dominum nostrum. Pastor ouium vocatur, quia oues suas pascit salutari pabulo verbi, eodemque verbo veluti sceptro, & Spiritu suo, eas regit ad vitam æternam. Magnus ouium Pastor dicitur ad discrimen aliorum Pastorum omnium, quos ipse constituit ministros, vt ei inseruiant in pascendis ouibus, quæ solius sunt Christi. Eodem sensu princeps Pastorum vocatur. 1. Pet. 5. 4. *Per sanguinem*) Ostendit quo jure Christus sit magnus ille ouium Pastor, quia nimirùm sanguine suo eas acquisiuit. Act. 20. 28. & animam suam posuit pro ouibus. Ioann. 10. 11. Sanguinem hunc vocat fœderis æterni, quia hoc sanguine sancitum est & obsignatum æternum illud fœdus gratiæ, quod absque sanguine Mediatoris cum homine peccatore & fœdifrago percuti nunquam potuisset. Nam absque sanguinis effusione non fit remissio Heb. 9. 22.

21 Perficiat) Petitio ipsa, qua postulat Hebræis à Deo perfectionẽ, non quidem in vna re aliqua, sed in omni opere bono. Opus autem bonum definit ex præstatione voluntatis Dei patefactæ nobis in ipsius lege, quæ non solum opus ipsum quoad substantiam, sed & operandi modum, & operis finem præcipit, vt nimirùm fiat ex cordis sinceritate, & ad Dei gloriam

riam referatur: his enim conditionibus opus bonum definitur. *Efficiens*) Declarat hanc quam ijs precatur perfectionem, á modo quo fit: perficit nos Deus in omni opere bono dum ipse illud efficit in nobis, Deus est, inquit Paulus, qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis, pro gratuita sua beneuolentia. Philip. 2.13. Bonum autem opus hìc rursum definit, quod sit acceptum in conspectu ipsius. *Per Iesum*) Efficientiam hanc Patri tribuit per Iesum Christum tanquam Mediatorem: cujus beneficio omnis gratia abundè in nos confertur à Deo. Nisi malis hęc verba cum proximè præcedentibus conjungere, vt opus quod efficit Deus in nobis dicatur acceptum coram eo per Iesum Christum: Neque enim possùnt opera nostra, etiam quæ Deus efficit in nobis, Deo esse grata, aut in ejus conspectum prodire, nisi sacrificij Christi odore perfusa, quo tota ipsorum imperfectio, quam à nobis tanquam instrumentis in quibus operatur Deus attrahunt, integatur. *Cui sit gloria*) Preces suas ad Deum pro Hebræis concludit glorificatione Dei Patris & Christi, vt enim illis optat perfectionem à Deo, ita Deo optat suam gloriam, & eam quidem ęternam. Nam vt à gratia Dei omnia illa profluunt quæ pij precantur, ita in Dei gloriam debent redundare. Ex eo, & per eum, & in ipsum

ipſum ſunt omnia, ipſi ſit gloria in ſecula. Rom. 11.36. Atque ex hac optationis formula diſcimus concludendas eſſe preces noſtras & petitiones omnes, cum glorificatione nominis Dei illius, à quo omnia petimus, vt vel hoc ipſo ſignificemus, nos non tam reſpicere bonum aliquod hominum, quàm Dei in Chriſto Ieſu gloriam, cujus reſpectu preces pro hominibus fundimus, ijſque bona omnia à Deo exoptamus.

22 *Precor autem*) Hebræos ad quos ſcribit, hortatur vt ſermonem exhortationis ſufferant, hoc eſt, æqui bonique conſulant, eiq; obtemperent. Hanc Epiſtolam vocat ſermonem exhortationis, quia tota ferè occupata eſt in exhortatione ad retinendam doctrinam quam acceperunt. *Etenim*) Ratio hortationis à ſcripti breuitate.

23 *Scitote Timotheum*) Narratio breuis, qua certiores eos facit de Timothei ſolutione è vinculis, cum quo ſe etiam ipſos inuiſurum ſpondet, ſi celerius venerit. Hinc facilè conſpicitur, & Timotheum, paulò ante hanc Epiſtolam ad Hebræos miſſam, vinctum fuiſſe (de cujus tamen vinculis nihil alibi ſcriptum legimus, vt quando in vincula inciderit difficile admodum ſit diuinare) & Epiſtolæ hujus authorem liberum fuiſſe ac ſuę poteſtatis cum hæc ſcriberet.

24 *Salutate*

24 *Salutate omnes*) Paucis complectitur ſalutationes, primùm (vt ſic dicam) rogatas, quibus ſalutari petit, tum omnes ductores ipſorum & Paſtores, tum generatim omnes ſanctos: deindè (vt ſic dicam) miſſas ab Italicis fratribus.

25 *Gratia ſit*) Hebræis valedicens comprecatur ijs gratiam, quo nomine intelligo, primum gratuitum Dei fauorem, deinde ſpirituales in Chriſto benedictiones, quæ ex gratuito Dei fauore omnes emanant; cujuſmodi ſunt remiſſio peccatorum, juſtificatio, ſanctificatio, vita denique æterna. Hanc gratiam exoptat omnibus, quia vt ſua natura ad omnes pertinet (vt videre eſt Rom. 5. 15. & deininceps) ita à Paſtore non eſt contrahenda ad certos duntaxat aliquot, ſed omnibus & ſingulis quantum in ipſo eſt, communicanda & exoptanda à Deo, cui in Chriſto ſit omnis gloria. Amen.

TRACTATVS
DE IVSTIFICATIONE.

IVSTIFICATIONIS nomen duobus modis accipitur, phyſicè (vt ſic loquar) & politicè. Phyſicè acceptum Iuſtificationis nomen ſignificat inhærentem mutationem hominis è qualitate juſtitiæ inhærente in qualitatem juſtitiæ inhærentem. Hoc modo intelligi videtur Iuſtificationis nomen. Apoc. 22. 11. Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & juſtus vocatur ab inhęrente juſtitia. 1. Ioh. 3. 7. Qui exercet juſtitiam juſtus eſt. Sic accepta Iuſtificatio nihil aliud eſt quàm ſanctificatio, quæ mutatio quędã eſt inter terminos contrarios inhęrentes: ſed de hac acceptione ſatis. Altera Iuſtificationis acceptio eſt qua ſignificat pronunciationẽ juſtitię de aliquo, eamq; à judice è tribunali. Rom. 8. 33. Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui juſtificat? Hæc acceptio cõmunis eſt, & ijs qui habent juſtitiam ſuam inhærentẽ, & ijs qui inhærentem non habent & ſuam propriè, verùm alienam: Nam qui in ſe juſtus eſt pronunciari poteſt à Iudice juſtus ex inhęrente illa juſtitia; Sic juſtificantur beati Angeli à Deo, nimirùm ex juſtitia ſua & inhærente, ſic juſtificatus fuiſſet homo ſi ſtetiſſet in originali illa juſtitia. Similiter juſtificari dicitur quis, hoc eſt, pronunciari juſtus, à juſtitia quæ in ipſo non inhæret, ſed

ſed quę aliena eſt, facta tamen ipſius eſt aliquo pacto: Hoc modo debitor aliquis juſtificatur ex juſtitia ſpōſoris, qui ipſius nomine creditori debitū exoluit: ſic juſtificatur homo peccator ex juſtitia & ſatiſfactione Chriſti mediatoris.

Imputatio.

Vt verbum Iuſtificationis, ita quoque verbum Imputationis cōmune eſt, Nam & imputari ei Iuſtitia dicitur, qui eſt in ſe & inhærenter juſtus: & imputari ei juſtitia dicitur, qui nō habet ſuam & inhærentem juſtitiam, verū alienam, vt Chriſti. Quòd autē Iuſtificationis verbum commune ſit etiam ijs qui ſuam & inhærentē habent juſtitiam ſatis conſpicitur vel ex hac phraſi Apoſtoli, qua dicit hominē non iuſtificari ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti. Rom. 3. 28. Gal. 2. 16. Hac enim locutione, non obſcurè innuit juſtificari, h. e. pronunciari hominē juſtum poſſe ex operibus & juſtitia quadam ſua, ſi modò reipſa eſſent ea opera, non ſecus atq; juſtificari dicitur quis per fidem, h. e. per alienam & Chriſti iuſtitiam. Imputandi quoq; verbum intelligitur commune eſſe ex verbis Apoſtoli. Rom. 4. 4. cum dicit, Ei qui operatur merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito. Quibus verbis ſignificat iuſtitiam operum, h. e. inhærentem dici poſſe imputari, ſi modò reipſa eſſet ea iuſtitia.

Iuſtificatio hominis qua pronunciatur quis iuſtus ex aliena, hoc eſt, Chriſti juſtitia, vt de

ea

ea in ſpecie dicamus, hoc ordine procedit, primùm eſt vocatio efficax in qua Deus offert Chriſtum cum juſtitia ſua, peccator autem oblatum fide apprehendit. In Vocatione enim efficaci applicatio duplex eſt, prima eſt Dei 1 offerentis Chriſtum cum juſtitia ſua, ſecunda 2 eſt hominis peccatoris per fidem oblatũ Chriſtum apprehendentis ſibique applicantis. Poſt vocationem efficacem ſequitur Iuſtificatio, qua Deus juſtitiam illam Chriſti fide jam apprehenſam in efficaci vocatione peccatori imputat tanquam ſuam, vel pronunciat eum juſtum in illa Chriſti juſtitia, peccator autem imputatam ſibi à Deo juſtitiam fide recipit. In juſtificatione duplex ſimiliter eſt applicatio, prior eſt imputatio Dei, poſterior eſt imputatę à Deo juſtitię alienę per fidem peccatoris 2 apprehenſio & applicatio. Differunt hæ duæ applicationes quæ in juſtificatione ſunt à duabus illis quæ fuerunt in Vocatione efficaci. Nam in Vocatione applicatio Dei appellata eſt oblatio ſiue omnino vocatio: In Iuſtificatione verò applicatio Dei appellatur imputatio. Deinde in Vocatione applicatio hominis, juſtitiæ oblatæ per fidem apprehenſio, ſiue fides in iuſtitiam oblatã, in Iuſtificatione verò applicatio hominis vocatur fides in juſtitiam imputatam. Ex his obſerua duplex eſſe fidei 1 munus, vnum quidem in Vocatione efficaci, dum

dum Christum vnà cum justitia sua oblatum recipit: Alterum in Iustificatione, dum Christum cum sua justitia imputatum recipit. Notandum autem est, quod cum dicitur hominem per fidem justificari, intelligenda sit ea fides quæ antecessit in Vocatione efficaci, nempè quæ apprehendit Christum oblatum cum justitia sua. Quod ad fidem quæ in Iustificatione apprehendit imputatam Christi justitiam per eam magis propriè seruari dicimur. Ephes. 2. 8. Gratia Dei seruati estis per fidem, Salus enim æterna justificationem sequitur. Atque hæc paucis de ordine quo ad justificationem peccatorum proceditur à Deo.

Quæritur, annon cum in efficaci Vocatione apprehendatur per fidem Christi justitia ab illa justitia justificatus jam quis dicitur? Respondeo minimè: Nam Iustificatio est sententiæ pronunciatio, in vocatione autem nulla est sententiæ pronunciatio, quare justificatus dici nequit ex sola vocatione. Atqui cum per fidē ei insit Christi justitia qui vocatus est, annon ex ea justitia quę ipsi ineſt per fidem denominari saltem justus potest? Illud equidem non planè negarim reipsa quodammodo, h. e. per fidem justum esse, justū dici & appellari posse non dixerim, cùm nondum lata & pronunciata de eo sit Iudicis sententia, sententia videlicet illa quæ ex noua quadam gratia existit, nam non nisi

niſi ex Dei gratia eſt quod iam in efficaci vocatione per eidem iuſtos, Deus iuſtos eſſe pronunciet, & imputet iis alienam iuſtitiam tanquam ſuam.

Iuſtificationis cauſæ ſunt quatuor, Efficiens, materialis, formalis, & finalis. Efficiens cauſa eſt Deus, Deus is eſt qui juſtificat. Rom. 8. 33. Modi efficiendi quibus dici poteſt Deus juſtificare varij ſunt. Primùm dicitur Deus iuſtificare ex operibus, & inhęrente iuſtitia: ſic iuſtificat beatos Angelos, ſic iuſticaſſet hominem ſi in primæua & originali iuſtitia ſtetiſſet. Hũc iuſtificationis modum, qui eſt ex operibus legis ſectabantur Iudæi. Rom. 9. 31. 32. Deinde dicitur Deus iuſtificare ex fide, vel per fidem: Fidei nomine intelligo Chriſtum cum iuſtitia, ſiue ſatiſfactione, ſiue obedientia, ſiue merito ſuo fide apprehenſum. In hoc igitur modo duo ſunt comprehenſa, Primùm Chriſtus ſiue meritũ Chriſti, deinde fides noſtra ſine qua Chriſti meritum non applicatur ad nos ad hoc vt efficax ſit ad nos juſtificandos. Nam de merito Chriſti vt nonnihil paulò altius repetamus, Cauſa quidem eſt omnium benedictionũ ſpiritualiũ quas in nos cõfert Deus, verùm alio atq; alio modo: nam Chriſtus cum merito ſuo eſt cauſa ęternæ Prædeſtinationis noſtrî citra fidẽ noſtram, vel preſentem, vel futuram, vel præuiſam. Elegit nos in ipſo, ſubaudi Chriſto. Eph. 1. 4. Rurſus

§. 4. Rursus Christus cum merito suo causa est Vocationis efficacis quæ fit in tempore, verùm citra fidem nostram, cùm fides in ipsa demùm detur, & altera vocationis pars sit. Tertiò Christus cum merito suo causa est Iustificationis nostri, verùm non sine fide qua in efficaci vocatione ipsum cum merito suo apprehendimus: Denique Christus cum merito suo causa est glorificationis nostri, sed cum fide imputatam illam Christi justitiam apprehendente in Iustificatione. Ex his videmus justificari hominem per Christi meritum tanquam per modum quo Deus eum justificat, verùm non sine fide meritum illud oblatum in efficaci vocatione apprehẽdente. Vnde Apost. ad Rõ. & Gal. modum hunc, qui compositũ quiddam est, vnico fidei vocabulo expressit, nonnunquã cum fide Iesum Christum conjungit. Rom. 3. 22. Iustitiam Dei vocat per fidem Iesu Christi. Sic Gal. 2. 16. justificari nos dicit per fidẽ Iesu Christi, & Rom. 3. 25. vocat fidem in ipsius sanguine. Postremò inter modos quibus Deus justificat hominem censetur gratia Dei siue misericordia. Gratia cum fide optimè conuenit, verùm inter gratiam & opera summa est dissensio. Rom. 11. 6. Ephes. 2. 8. 9. Consentiunt igitur ista, Deus justificat ex fide, & Deus justificat ex gratia; Verùm quæstio est de ordine, vtra fides ne an gratia prior sit, vtrum

fides sit causa gratiæ, an verò gratia sit causa fidei? Respondeo fidem præcedere, gratiam autem subsequi, & fidem, hoc est, Christum cum merito suo fide apprehensum in efficaci vocatione causam esse nouæ illius gratiæ, qua fit vt Deus hominem iustificet. Vt de hoc nonnihil paulò altius repetamus, Omnis spiritualis benedictio, vt Prædestinatio, Vocatio, Iustificatio, Glorificatio, ex Dei gratia est: gratia autem Dei ex Christo ipsiusque merito est: verbi gratia: In Prædestinatione hominis ad vitam, primùm est Christus cum suo merito, hinc sequitur gratia Dei, tanquam Christi & meriti ipsius effectum, ex gratia Dei deinde sequitur Prædestinatio. In efficaci Vocatione primùm est Christi meritum, deinde est gratia Dei quam sequitur vocatio. Similiter in Iustificatione primùm est meritum Christi, quod in efficaci vocatione apprehensum est, deinde est gratia Dei, ex qua rursus sequitur Iustificatio. Sic denique in Glorificatione primùm est meritum Christi, quod quidem imputatum in Iustificatione per fidem apprehensum est, deinde est gratia Dei quam sequitur Glorificatio. Hoc autem in his discrimen est, quod in Prædestinatione & Vocatione meritum Christi solum sine fide nostra causa sit gratiæ: In Iustificatione verò & Glorificatione meritum Christi fide apprehensum causa sit gratiæ. Ex

his

his quæ diximus apparet fidem seu Christum cum merito suo fide apprehensum causam esse gratiæ illius qua Deus hominem justificat: vnde Rom. 3. 24. postquàm dixit, Iustificantur autem gratis, id est, ejus gratia, continuò addidit per redemptionem factam in Iesu Christo, quibus verbis causam illius gratiæ qua justificantur homines designauit, nempè redemptionem Christi fide apprehensam in efficaci vocatione & Rom. 4. 16. Propterea ex fide est hęreditas, vt sit per gratiam, quibus verbis significat vitam æternam ideò ex fide esse vt locus sit gratiæ, quæ effectum est fidei justitiam Christi imputatam apprehendentis in Iustificatione.

Hìc si quęras quomodò fieri potest vt meritum Christi, & gratia Dei, siue gratuitus Dei fauor, qui merito contrarius est, vnà consistãt? Respondeo meritum Christi, non autem nostrum ipsorum optimè cum gratia Dei consistere. Nam Christi satisfactio qua satisfecit justitiæ patris, ipsa est quæ promeretur Dei erga nos gratiam: sin loquaris de nostro ipsorum merito, profectò nostrum meritum & gratia Dei vnà consistere non possunt, sed tota natura sua pugnant. De efficiente justificationis causa hęc hactenus.

Materia Iustificationis est homo peccator primum, vnde dicitur Deus justificare impiũ. Rom. 4. 5. deinde credens: Iustitia Dei per fidẽ 2

Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Rom. 3. 22. Materiæ nomine intelligo subjectum de quo Deus è tribunali suo pronunciat absolutionis sententiam; Sic accepto materiæ vocabulo, Christus dici non potest Iustificationis materia: Iustitiæ quidem materia siue subjectum vocari potest, Iustificationis non item. Hæc de materia.

Forma siue causa formalis Iustificationis est justitia illa Christi, quæ de credente pronunciatur, & justificationis motu quasi introducitur in credentem: Formalis enim causa motus cujusque dicitur ea quæ introducitur forma. Verum quidem est eandem illam Christi justitiam esse quoque efficientem & meritoriam Iustificationis causam, sed efficiens est quatenus in vocatione efficaci oblata fide apprehenditur: Forma autem est quatenus in Iustificatione imputata fide apprehenditur. De justitia Christi tanquam causa formali loquitur Scriptura cum dicit Deum imputare justitiam absque operibus, Rom. 4. 6. Vocatur justitia Dei, Rom. 3. 22. & donum justitiæ Rom. 5. 17. & justitia quæ est ex Deo, Philipp. 3. 9. quo loco opponitur justitiæ quam nostram vocat, & quam definit justitiam quæ est lege. Iustitia fateor quæ inhæret, vt ea quę fuit primi hominis, & quæ est Angelorum beatorum justitia quoque Dei vocari potest,

nam

nam ex Deo est, & Dei donum est, verùm Deus specialiter eam justitiam pro sua habet quæ non inhæret, sed quam ipse ex gratia imputat peccatori. Hactenus de forma. Sequitur nunc vt de fine dicamus: is geminus est, proximus & vltimus. Proximus quidem est salus nostra, vltimus verò ac præcipuus est Dei gloria in illa justitia sua imputata. Ad declarandā justitiam suam præsenti tempore. Rom. 3. 26. Quemadmodum enim glorificatur Deus in justitia ea, quæ ipsi essentialis est, ita glorificatur in justitia Christi filij sui, quæ ipsa quoque justitia Dei dicitur.

Iustificationis partes sunt duę, prior est peccatorum remissio, posterior justitiæ imputatio, vel justificatio propriè dicta. Sciendum est non esse istos diuersos & numero differentes quasi motus, verum vnicum esse quasi motum reipsa & numero, habere autem hunc vnicum quasi motum diuersas appellationes ratione duorum terminorū, ratione quidem termini à quo vocari peccatorum remissionem, seu absolutionem à peccato, seu non imputationem peccati. Ratione verò termini ad quem vocari Iustificationem seu justitię imputationem: Idem autē reipsa est & numero motus quo abolētur peccatum, & introducitur justitia: ratione tamen terminorum distingui potest: Quod autem vnicus sit numero quasi motus apparet ex Rom.

4.6.7. vbi quod Dauid in Psalmo suo vocauit remissionem peccatorum, Apostolus eodem sensu vocat imputationem justitiæ.

Vt igitur de priori Iustificationis parte dicamus, Remissio peccati non est quidem deletio & expunctio peccati è subjecto suo, ita vt jam definat illud in subjecto inhærere, sed est, qua Deus, cum insit peccatum in subjecto, tamen censet nõ inesse, non imputat ipsum, sed peccatorem habet pro non peccatore. Dum censet nullum peccatũ inesse simul aufert peccati reatum, quod est meritum pœnæ, & pœnam ipsam siue mortem: Ergo in remissione peccatorum tria sunt quæ simul aufert Deus, primum peccatum ipsum, dum censet illud non inesse, deinde peccati reatum, tertiò pœnam; Ablatio duorum istorum posteriorum, h.e. reatus & pœnę ex ablatione peccati necessario consequitur. Pars autem ista Iustificationis nomen accipit à peccato qui propriè terminus est à quo procedit motus, & de quo primũ est absolutionis sententia: Nam sententia est quoque de reatu & pœna, sed secundo loco.

Nunc de posteriori Iustificationis parte dicamus, Iustificatio propriè dicta, seu justitiæ imputatio non est introductio in subjectum inhęrentis alicujus justitię, verum est qua Deus censet eum, qui in se peccator est, justum esse in aliena, h.e. Christi justitia per fidem apprehensa

henſa, ſiue qua imputat peccatori Chriſti juſtitiam: Hæc enim proportio eſt inter remiſſionem peccati & juſtificationem, quòd quemadmodum in remiſſione peccati non imputat Deus peccatum, quod tamen ineſt, ita in juſtificatione imputat Deus juſtitiam quæ non inhæret. Iuſtitiam imputatam ſequitur meritum vitæ pariter & vita ipſa: Nam quemadmodum ſententia remiſſionis peccati eſt de tribus, de peccato, de reatu, & pœnę merito, ac pœna ipſa, ita ſententia juſtificationis eſt de tribus, de juſtitia ſiue ſatisfactione Chriſti, de merito illius juſtitiæ ſiue ſatisfactionis, (nam vitæ ęternæ meritoria eſt) denique de ipſa vita. Licet de his omnibus ſit Iuſtificationis ſententia, tamen nomen ſuum ſortitur à juſtitia Chriſti, quam reliqua duo neceſſario conſequuntur.

Executio ſententię hujus Dei in nobis juſtificandis tum fit cũ per Spiritum ſuum ſanctum nos regenerat, h. e. vitam illam nouam in nobis creat, ad quam jam prius nos juſtificationis ſententia adjudicauit: Ergo executio ſententiæ juſtificationis propriè reſpicit vitam illam ſpiritualem & ęternam, de qua poſtremo loco diximus juſtificationis eſſe ſententiam: Sed de hoc in doctrina regenerationis fuſius.

His ita expoſitis hanc Iuſtificationis plenã ac realem, vt vocant, definitionem colligimus, vt ſit Iuſtificatio ſententia Dei judicis è tribunali

bunali ſuo pronunciata, qua homini peccatori & credenti ex fide Chriſti & gratia ſua remittit peccata & imputat juſtitiam ſuam, ad vitam ipſius hominis æternam, & ad gloriam gratiæ ſiue juſtitiæ ſuæ quam gratis imputat. In hac definitione habes primum ipſã nominis definitionẽ, habes deinde quatuor Iuſtificationis cauſas, habes deniq; duas Iuſtificationis partes.

Quæritur hoc loco, an Iuſtificatio perficiatur in hac vita? Reſpondeo hoc ſumpto initio, duo ſunt genera beneficiorum Dei in Chriſto, vnum eorum quæ non inhærent, cujuſmodi ſunt Prædeſtinatio ab æterno, Iuſtificatio, Adoptio; Alterum eorum quę inhærent, vt Vocatio & Glorificatio: Hoc commune habent duo hæc beneficiorum genera, quod non ante manifeſtationem Chriſti plena perfectaque ſit futura eorum manifeſtatio & patefactio, non Prędeſtinationis, non Iuſtificationis, nõ Adoptionis, non Vocationis, nõ Glorificationis. Cœpit quidem eorum in prima Chriſti manifeſtatione patefactio, vnde Apoſt. Rom. 3. 21. Nunc autem patefacta eſt juſtitia Dei, &c: verùm nõdum plena eſt eorum patefactio, vnde 1. Ioh. 3. 2. Filij Dei jam ſumus, ſed nondũ apparet quod erimus. In hoc autem differunt duo hęc beneficiorũ genera, quod ea quæ diximus non inhęrentia perficiantur & abſoluantur reipſa in hac vita; filij Dei, inquit, nunc ſumus: ſic jam prędeſtinati

ſtinati ſumus: ſic jam juſtificati ſumus: Ea verò quæ inhęrentia eſſe diximus non perficiantur ſuis omnibus gradibus, licet in hac vita inchoẽtur. Ex his conſpicitur Iuſtificationem quidem in hac præſenti vita perfici atq; abſolui reipſa, non autẽ plenè manifeſtari. Quęſtio eſt annon in die illo judicij juſtificaturus ſit Chriſtus eos qui in hac vita crediderunt? quod ſi ità ſit annõ in altera demũ vita perficienda eſt Iuſtificatio? Reſpondeo in die illo judicij Chriſtus non tam juſtificaturus eſt credẽtes, quã declaraturus eſt ex operibus eorum eos in hac vita credidiſſe & juſtificatos fuiſſe: ſic enim juſtificandi verbum nonnunquam accipitur, vt ſit juſtificare declarare juſtificatum: ſic dixit Iacobus hoc ſenſu hominem juſtificari ex operibus.

Quæritur rurſus annon petimus quotidie à Deo remiſſionem peccatorum, h. e. juſtificationem? quod ſi ita ſit, an dicemus Iuſtificationem ſimul & ſemel totam perfici in hac vita? Reſpondeo dum precamur remiſſionem peccatorum non precamur ipſum beneficium quaſi nondum datum, ſed precamur incrementum fiducię noſtrę & applicationis beneficij quę fit per fidem & fidei incrementum.

Quæritur poſtremò, annon Iuſtificatio ſententia eſt de vita, vita autem non perficitur niſi in Chriſti aduentu, Ergo Iuſtificatio non perficitur niſi in Chriſti demùm aduentu? Reſpondeo

ſpondeo aliud eſt perfici ſententiam de vita, aliud perfici vitam ipſam: ſententia quidem
1 de vita perficitur in hac vita, at vita ipſa non
2 perficitur niſi in ipſo Chriſti aduentu: Quamobrem argumentatio hæc fallax eſt & captioſa.

Cum Iuſtificationis doctrina conjungo doctrinam Adoptionis, de qua principio paulò altiùs repetito ſic erit dicendum. Beneficia Dei quæ in Chriſto conferuntur in tempore ſunt Vocatio efficax, Iuſtificatio, ſub qua cõprehenditur adoptio, denique Regeneratio ſiue Glorificatio. Vnumquodque ex his beneficijs conſtat applicatione Chriſti & gratiæ ipſius, vel in vnoquoque ex his eſt Chriſti cum gratia ſua quædam applicatio: Applicatio Chriſti duplex eſt, prima qua ipſe Deus
1 nobis eum applicat, ſecunda eſt qua nos applicatum nobis à Deo Chriſtum ipſi deinde no-
2 bis applicamus: Ergo prima applicatio eſt Dei, ſecunda noſtra: Applicatio noſtra in genere vocatur fides Chriſti. Cum Dei applicatione ſemper conjunctus eſt Spiritus ſanctus, per quem ipſe operatur in nobis applicationem noſtram, vel applicationis noſtræ inſtrumentum, h.e. fidem.

Hæc quæ in genere dicimus primùm de applicatione Dei, deindè noſtra, apertiora euadent ſi viderimus quæ ſit vtraque applicatio

ſeor-

seorsim in singulis Dei beneficijs. Primùm itaque in Vocatione efficaci est applicatio Dei qua Christum cum vniuersa gratia sua nobis offert in verbo suo, cujus quidem verbi comes est Spiritus sanctus. Applicatio autem nostra est qua fide per verbum & Spiritum sanctum in cordibus nostris accensa Christum cum vniuersa gratia sua oblatum apprehendimus.

Deinde in Iustificatione applicatio Dei est qua Christum illum in efficaci vocatione jam applicatum cum gratia sua vniuersa propiùs ad nos admouet & applicat, imputando nobis ipsum ipsiusque specialem quandam gratiam, nempe justitiam; Cum hac Dei imputatione conjunctus est Spiritus sanctus: nostra autem applicatio in Iustificatione est qua nos Christum cum ipsius justitia a Deo imputatum per fidem accensam in cordibus nostris beneficio Spiritus illius Dei apprehendimus. Iustificationi succedit Adoptio. In Adoptione (vt de ea nunc dicamus) applicatio Dei est qua adhùc ad nos propius admouet & applicat Christum tanquam fratrem nostrum, censendo nos primogeniti sui fratres, ac proinde filios suos in eo. Vt enim in Iustificatione applicauit Deus nobis Christum tanquam justum, ita in Adoptione applicat nobis Christum tanquam fratrem primogenitum, qui vlterior quidam est & arctior applicationis & conjunctionis gradus

dus: Cum hac quoque applicatione Dei conjunctus est Spiritus sanctus. In Adoptione applicatio nostra est qua per fidē beneficio Spiritus sancti accensam applicamus nobis Christum tanquam fratrem primogenitum, siue (vt sic dicam) filiationem in Christo, quam Deus nobis imputauit. Denique in Regeneratione (vt de ea nonnihil etiam nunc dicamus) primùm est applicatio Dei, qua etiamnum Christum ad nos propiùs admouet, eumque nobiscum conjungit tanquam caput cum corpore: Cum hac quoque applicatione Dei conjunctus est Spiritus sanctus. In hac applicatione conjungit Deus nobiscum Christum primùm mortuum ad mortificationem carnis: deinde ex mortuis suscitatum ad viuificationem spiritus. In Regeneratione deinde applicatio nostra est qua nos conjunctum nobiscum Christum in morte & in vita sua fide per Spiritum sanctum excitata apprehendimus: Atque in hac applicatione primùm Dei, deinde nostra, qua fit vt Christus nobiscum conjungatur tanquā caput cum corpore, cernitur nostri Regeneratio: vnâ enim eademque opera, & conjungitur Christus nobiscum tanquam caput, & nos regeneramur siue renouamur: Sed de Regeneratione suo loco erit dicendum. Ex his autē quæ diximus videmus quæ sit Adoptionis natura, in qua explicanda non est opus vt diuti-

ùs immoremur.

Hoc poſtremò ad ſuperiora adijcimus, Spiritum illum qui datur à Deo dum nobis applicat ſingula beneficia, nomen ſortiri à ſingulis, cum tamen vnus idemque ſit Dei Spiritus: Qui enim in Vocatione datur Spiritus, Spiritus vocationis appellatur: Qui in Iuſtificatione Spiritus juſtificationis, qui in Adoptione Spiritus adoptionis, qui denique in Regeneratione, Spiritus regenerationis.

1
2
3
4

FINIS.

ERRATA.

Pag. 83. lin. 10. pro ma- lege manere. P. 137. lin. 25. pro aboluto lege abluto. P. 144. lin. 16. pro Hoc lege Hæc. P. 183. lin. 16 pro obiecto lege abiecto.